QUAESTIONES DE ABLATIVI USU TACITEO.

PART. I.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS
PHILOSOPHORUM
IN
UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS ADIUNCTIS
DIE XVIII M. APRILIS A. MDCCCLXXXII HORA XI
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

IULIUS SCHNEIDER
LIGNICENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
LEOPOLD COHN, DR. PHIL.
IULIUS BRZOSKA, CAND. PHIL.

LIGNICIÆ.
IN ÆDIBUS WILHELMI LONDON.
MDCCCLXXXII.

Martino Hertz
Augusto Rossbach
S.

Omnium partium ad litteras latinas pertinentium nulla hac aetate maiore colitur cura atque diligentia quam quaestio de singulorum scriptorum dicendi genere. Intellexerunt enim viri docti, ad totius latinitatis cognitionem perveniri non posse nisi singulorum scriptorum et singularum aetatum proprietatibus satis accurate pertractatis penitusque cognitis. Ita cum alii aliam litterarum partem tractandam sibi proposuerint, in iis praecipue scriptoribus studia versantur, in quibus suae aetatis praestantissimis totius temporis quasi natura et indoles cernitur. Nil mirum igitur, quod Tacitus viris doctis dignus visus est, cuius dictionem quam diligentissime perquirerent. Qui ut morum integritate, animi magnitudine, patriae amore, ita dicendi genere ceteris eiusdem aetatis scriptoribus praestat. Quamquam enim sui saeculi vitiis non plane caret — id quod fieri omnino non potuit —, ita ea admisit, ut servata antiqui sermonis dignitate atque gravitate iis, quae novo generi tribuenda sunt, uteretur ad elegantiam sermonis augendam. Pertinent huc color poeticus, studium varietatis, quod ex temporum illorum condicione ortum quasi speculum est animi ipsius scriptoris, brevitas, qua oratio non abrupta et obscura, sed pressa eademque gravitatis ac roboris plena efficitur; quibus de rebus cum iam alii copiosius explicaverint, hoc loco dicendum non est. Atque ex eo maxime tempore Taciti scripta a viris doctis percoluntur, ex quo Woelfflini insigni diligentia et doctrina patefactum est, quae sit Taciti ars in scribendo et quantopere erraverint ii, qui qualemcunque non modo libertatem, sed licentiam Tacitum sibi sumpsisse putabant. Eidem debemus, quod dubium iam non est, qua via progrediendum sit in quaestionibus de Tacito instituendis, recteque admonet, non nisi singularum rerum subtilissima indagatione eo perveniri posse, ut Taciti elocutio omnibus ex partibus prorsus pernoscatur.

Quocirca cum alii alias rerum grammaticarum partes perscrutati sint, equidem ut ipse quoque quantulumcunque afferrem ad illustrandum praestantissimi auctoris sermonem, casus ablativi usum explicare mihi proposui. — Priusquam autem ad rem ipsam aggrediar, paucis præmittam, qua ratione aptissime processuram esse putaverim hanc explicationem.

Ablativus linguae latinae, ut cognitum est ex comparatione linguarum indogermanicarum, non simplex est casus, sed tres continet, casum proprie ablativum, casum locativum, casum instrumentalem.[1]) Quod cum ita sit, multas necnon diversas notiones amplectitur oleumque et operam perdiderunt, qui unam eamque propriam et principalem ablativi notionem indagare studuerunt. Eo vero, quod trium iam casuum notiones una forma continebantur, factum est, ut in nullius casus usu quam in ablativi frequentior esset ambiguitas et idem ablativus diversis generibus tribui posse videretur. Haec ambiguitas cum eo magis cresceret, quo longius sermo recedebat a linguae primordiis, ablativus augebatur additis praepositionibus, quibus eadem vi qua casus ipsi praeditis ablativi notio magis in lucem proferretur; non adiungebatur praepositio, si ipsorum verborum significatione ambiguitas tollebatur.[2]) — Hanc ablativi naturam respiciens ita rem propositam aptissime exsequi mihi visus sum, ut quae ad uniuscuiusque casus notionem propriam pertinent, coniuncta tractarem neve tamen veterum grammaticorum rationes adhuc usitatas plane neglegerem. Eo igitur loco, quo explicavi usum casus locativi, adiunxi ceteras rationes, quibus ad notiones temporis et loci pertinentibus ablativus adhibetur, quamquam ex casu locativo ortae non sunt; adiectivis inopiae addidi adiectiva copiae. Primo autem loco dicendum erat de casu proprie ablativo, secundo de casu locativo, tertio de casu instrumentalis. — Casus ablativi, cui tribuendi sunt ablativus apud verba separandi, ablativus materiae, ablativus causae, usum posthac,

---

[1]) cf. Delbrueck: Ablativ, Localis, Iustrumentalis im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen. Berol. 1867.

[2]) cf. Suet. Oct. 86: Augustus praecipuam curam duxit sententiam animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque praepositiones verbis ad dere neque coniunctiones saepius iterare dubitavit, quae detractae afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.

si licebit, exponam; interim satis sit laudasse libellum Carol. Kleinii: ‚De verbis separandi apud Tacitum'. Dissert. inaug. Hal. 1878, de ablativo causae Nipperdei adnotationem ad Ann. III c. 24; de ablativo materiae vid. H. III 71: aquilae vetere ligno. A. II 33: vasa auro solida. XIII 10: statuae argento vel auro solidae. XII 16: moenia non saxo, sed cratibus et vimentis ac media humo adversum irrumpentes invalida erant. — Huius libelli initium feci a casu locativo, adiunxi casum instrumentalem. — Atque id antiquius habui, ut bonorum codicum lectiones defenderem et haud paucos locos in dubium vocatos suo iure stare ostenderem, quam ut novas mutationes proferrem.

Casus locativus.

Vim localem, quae est ablativo linguae latinae, non ex alia eiusdem casus notione derivatam, sed principalem esse ex comparatione linguarum indogermanicarum didicimus. Ea enim duce cognitum est, ablativum sustinere munus casus locativi, cuius propria quondam exstitit forma — neque omnia perierunt vestigia; quae servata sunt, collegit Fr. Buecheler: Grundriss der lateinischen Deklination. Lips. 1866, pag. 60 — cum casuum numerus minueretur, notio transiit in casum separativum. Quod cum factum esset ante id tempus, cuius monumenta litteris nobis tradita sunt, ex priscis linguae latinae temporibus ablativum vi locativi adhibitum invenimus; est autem vis ea, ut relata ad locum et ad tempus significet, quo loco vel quo tempore res exstet vel facta sit. — Ac prius videamus de ablativo in locorum vocabulis adhibito, de ablativo locali.

Ablativus localis.

Ut modo dixi, omnibus linguae aetatibus ablativus locali vi adhibebatur, ita tamen, ut certis finibus usus terminaretur. Ponebatur enim nonnisi in iis substantivis, quibus ipsis significatur locus vel regio et in adiectivis ‚medius, totus, universus, omnis' [cf. pag. 2; cur in adiectivo ‚totus' iisque, quae simili sunt notione, adhibeatur localis, aliam quoque causam esse infra demonstrabitur]. Ut haec nomina, ita quaedam genera verborum, cum ea sint notione, ut cogitationem loci efficiant, causa sunt, cur in nominibus appositis localis usurpetur. Quo in numero imprimis habenda sunt verba abdendi, claudendi, tenendi in aliquo loco. Pariter atque in nominibus, in his verbis florentis linguae scriptores praepositionem plerumque addunt, nudi ablativi usus augetur sermone poetarum et scriptorum, qui horum dicendi rationem secuti sunt. Fuerunt, qui

ablativum illis verbis additum localem esse negarent et instrumentalem intellegi mallent; neque adhuc plane evanuit haec sententia. Quam ob causam de hac re accuratius disseram.

Si igitur comparantur loci H. II 18: cœrcere intra munimenta, Agr. 33: cœrcere munimentis, nihil discriminis inter has elocutiones interesse facile apparet H. III 11: obscuritas latebrarum, quibus occulebatur. Tacitus si cogitasset de notione instrumentali, scripsisset: qua occulebatur. A. II 52: attinere castris, VI 19 carcere, XVI 19 illic, quod est adverbium locale, XIV 56 domi, VI 23 in Palatio. H. I 67: in custodia retinere. At A. XV 53 legitur: domo aut hortis clausus, forma locativi est ‚domi.' Ponitur ablativus ‚domo' ex ceterorum ablativorum analogia, nostro loco ex analogia appositi ablativi ‚hortis.' cf. A. IV 58: propinquo rure. XV 60: suburbano rure. Statuendus igitur est localis et ea ratione a Tacito adhibetur, ut saepius nudus ablativus ponatur in iis verbis, in quibus notio illa praevalet, praepositio addatur in iis verbis, in quibus notio illa minore est vi. Ita hae inveniuntur structurae: verbum, quod est

abdere coniunctum cum praepositione ‚in' c. abl. H. III 31. 83, ‚in' c. accus. A. II 85, IV 67, inter H. III 73, per [notione locali] H. IV 72; ablativus H. I 43. 79. III 11. 36. A. II 39. V 7. XII 47. XIV 23. XV 10.

claudere intra domum H. IV 49, A. XIII 4, adverbium locale illic H. III 76; abl. G. 45. A. I 21, 53 [idem XIV 63] II 80. IV 30 [Gyaro aut Donusa clausus; vide quae supra dixi de loco XV 53 et Nipperdei adnotationem ad A. III 61] XV 53. 69. [Alia est notio verbi A. IV 25: locus vastis saltibus claudebatur.]

occulere, occultare H. II 72: in Histria. per: H. III 86, A. I 63. ‚apud' in nomine hominis H. III 74 [ibid.: delituit apud clientem iuxta Velabrum]; abl. H. II 24. III 84. A. II 17. III 7. XIII 44. XIV 35. XVI 14. Contra A. IV 57: ‚libidinem cum factis promeret ‚locis occultans' cum vis orationis non in eo sit, quo loco, sed qua ratione Tiberius libidinem factis promptam in notitiam hominum venire prohibuerit, ablativus ‚locis' est instrumentalis.

tegere apud decurionem equitum H. II 29, propinquis lucis A. II 19.

contegere c. praep. ,in' G. 46. H. I 49.

coercere intra H. II 18 [cf. H. IV 19 continere intra castra] A. I 11. XII 65. Abl.: Agr. 33. A. I 64. XIII 47 extr. — H. I 82: ,militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus' ablativus et localis et instrumentalis intellegi potest.

cohibere intra A. III 33. XII 31: cuncta castris Avonam inter et Sabrinam fluvios. G. 9: parietibus.

tenere. c. praep. H. II 16. A. I 17. II 55; Abl. legitur A. III 38. XIII 36.

attinere c. praep. VI 23. XII 12 [,apud' ex Taciti sermone idem valet, quod ,in'[1])] illic XVI 19, domi XIV 56. Abl. A. II 52. III 36. VI 19.

retinere c. praep.: H. I 67 [idem A. XV 51] II 14. IV 44 A. I 36 [idem XIII 35]. XIII 22. Abl. H. II 59. V 6. A. IV 52. XIII 2: ,voluptatibus concessis retinere Neronem' hoc valet: efficere, ut Nero maneat intra concessas voluptates.

Cotinendi in verbo hic usus omnibus temporibus tam frequens est, ut exempla afferre non sit necessarium. — Ex horum verborum analogia ablativus legitur in verbis custodiendi [A. VI 3: custoditur domibus magistratuum], habendi, accipiendi, recipiendi. In verbo, quod est habere, cum notio illa, de qua supra dixi, non tanta sit vi, quanta in verbis tenendi, multo pluribus locis praepositio additur, ut H. I 58. 87. III 2. A. I 26. 80. II 44. 58. XIII 36. XIV 38. XV 10. 55. cf. Ravennae habitus A. II. 63 XIII 30; ubicunque haberetur A. XIV 3. A. I 31: isdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur. Sunt igitur duae loci significationes; altera, generalis, praepositione addita, altera, specialis, nudo ablativo exprimitur. cf. H. IV 63: filium eius in colonia Agrippinensi deprehensum honorata custodia habuerant. Nulla tali causa ablativus positus est A. III 22: cum militari custodia haberentur. A. I 16: castris æstivis legiones habebantur. — De verbis accipiendi et excipiendi cf. A. I 49: vulnera pectoribus impiis. XII 30. XIV 5, de verbis recipiendi et receptandi A. I 43: cælo

---

[1]) De hac praepositione in urbium nominibus usurpata cf. Zernial: Selecta quaedam capita ex genetivi usu Taciteo. Gotting. 1864. pag. 94, et Nipperd. ad A. I 5.

recepta mens. III 60. IV 72, quibus locis nudus invenitur ablativus.

Alterum genus verborum, quae huc pertinent, sunt verbum nitendi eiusque composita. In verbo simplici omnibus locis legitur ablativus [A. I 78. IV 55. XIII 19. XIV 18, et ex Lipsii emendatione A. III 63]. Ex verbis compositis unum verbum adnitendi propria notione adhibetur A. III 61: Latona oleae adnisa [cf. Ov. Metam. III 599: udae innitor arenae. Stat. Theb. XII 144: fractae innititur hastae.], ceterorum compositorum tropica vis et ea est structura, ut vocabulis rerum addatur ablativus [D. 6. A. XII 54. XIII 6. XV 60], nominibus hominum dativus [A. II 29. III 30; omisi eos locos, quibus eadem forma et dativus et ablativus intellegi potest].

Usurpatur denique localis in verbis ponendi, collocandi standi[1]) in aliquo loco. Ita iam in Dialogo legitur c. 13: statuar tumulo. H. II 14: Alpinos proximis iugis locant; idem H. III 77. cf. H. III 72. IV 53. A. XII 63 ablativum sequitur alterum enuntiatum locale, cui addita est praepositio: artissimo... divortio Byzantium in extremo Europae posuere Graeci. vid. ad A. I 31. pag. 6. XIV 38. 61. XV 37. — H. III 21: patenti campo stetit cf. H. IV 57. 75. A. IV 8. XI 11. XII 36: stetere cohortes campo, qui... XIV 20. XV 37. 60, tropica ratione H. I 84: pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare. H. II 69. A. VI 30. Quamquam in his verbis hic illic nominibus additur praepositio non solum nude positis ut A. I 50. 51. II 80. III 45. 71, sed etiam cum attributo coniunctis, ut H. V 16. A. II 14 extr. III 71. IV 55. XV 10, tantus est numerus ablativorum localium, ut eo firmetur lectio tradita A. II 17 et 31. Priore loco verba ‚campis adstiterant' recte se habere negat Nipperdeius dicens: sie standen nicht an dem Felde, sondern auf dem Felde. Ipsum hoc valere verba tradita — ‚campo' ablativus est, non dativus —, apparet ex locis, quos modo attuli, XII 36: stetere cohortes campo qui... XV 37: crepidinibus stagni lupanaria adstabant.

---

[1]) Idem apud alios invenitur scriptores: cuius rei pauca afferam exempla ex Caesaris libris. Bell. gall. IV 23 extr.: aperto ac plano litore naves constituit. Bell. civ. III 29: quibus regionibus exercitum exposuisset. De Livio vide Kuehnast: Livianische Syntax. Berol. 1872, pag. 174, qui perperam ablativos instrumentales dicit.

cf. A. IV 74: campo aut litore iacentes. — A. II 31: ‚appositum mensa lumen‘ iniuria a Groslotio additam esse praepositionem ‚in‘ iam unusquisque concedet.[1]) — Afferendus denique est locus A. III 5, ubi traditur: praepositam toro effigiem. Cum vero dicatur de effigie cum pompa in conspectu populi ponenda, cum Mureto scribendum est: propositam toro, ita ut ‚toro‘ sit ablativus localis. —

Hinc ut ad rem ipsam revertar, fines usus, quos priscae et florentis linguae scriptores non exisse supra dixi, inde ab Augusti imperatoris temporibus longius proferuntur. Adhibetur enim localis in maiore nominum numero et in substantivis attributo carentibus, cum apud praecedentes scriptores legatur non nisi in nominibus cum attributo coniunctis. Quam dicendi rationem Tacitus eo maxime prolatavit, quod saepius adhibuit ablativum localem in nominibus nude positis et in adiectivis generis neutrius; minus recessit a ceterorum scriptorum usu in nominibus cum attributo coniunctis, quae magna ex parte habent, quo quasi excusentur. Prius igitur de his explicandum est.

Exempla, quae in Dial. leguntur, ita sunt comparata, ut accuratius de iis dicendum sit. Legitur enim D. 18: et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Caelius aut ipse Cicero. Quod mutaverunt Muretus et Halmius, alter scribens ‚ne in illa parte‘, alter ‚ne illa parte‘. Praeferenda est prior mutatio; Tacitus enim huic substantivo et locali et tropica ratione adhibito plerumque addit praepositionem, ut D. 8. 10. 21. 26. 30 35. H. II 1. 26. 43. III 78. V 20. A. II 8. 40. XIII 49. XIV 56. XV 38, nudum ablativum ponit semel in libris minoribus Agr. 12, bis in Annalium extrema parte XIV 6. XVI 1, quibus locis substantivi notio est localis. — c. 32: Cicero refert ... id se non rhetorum [Haasius addit ex Cic. Orat. § 12: officinis] sed Academiae spatiis consecutum esse. Acidalius ante vocem ‚rhetorum‘ addidit praepositionem ‚in‘. Quae sententia refutatur et codicum consensu et eo, quod cum ‚spatium‘ eadem fere notione sit, qua locus,

[1]) Nipperdeius proponit: appositum cum mensa lumen, quae coniectura refellitur eo, quod ipse dicit ad A. I 67: Wortverschiebung, wo kein Missverständniss möglich ist.

ablativus ille positus est ex analogia ablativorum ‚loco‘ ‚locis‘. — c. 37 in codice Farnesiano traditur: in antiquariorum bybliothecis, Leidensis et Vaticanus praepositionem omittunt. Cum Farnesiani scriptor saepissime additamenta ordini verborum inculcaverit adulterina et cum in eodem verbo, quod hoc loco legitur, aliis quoque locis abl. loc. inveniatur, ut G. 37: vestigia manent, utraque ripa castra, A. II 60: manebant structis molibus litterae, Leidensis et Vaticani lectio probanda est. — In Agricola tria exstant exempla [omisi ablativos ‚loco‘ ‚locis‘]. c. 10: extremo litore. — c. 12: cetera calidioribus terris oriri sueta. Ablativum non esse separativum apparet ex similibus locis, quibus praepositio localis addita est, ut G. 14: civitas, in qua orti sunt. c. 41: in Hermunduris Albis oritur. A. XI 16: neminem isdem in terris ortum. XIV 41: Hispania, in qua ortus erat. Itaque et Agricolae loco ablativus ‚terris‘ localis est et G. 1: Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus. A. I 64: quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur. — c. 25: isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti. Frequentissimus est in hoc pronomine ablativus localis. cf. G. 10. H. I 55. II 45. 78. III 13. 48. A. I 31. II 24. IV 27. XVI 13. Contra in pronomine ‚ipse‘ non usurpatur: ipsis in castris Agr. 26. H. I 46. 51 extr. in ipso litore G. 45. in ipso vertice G. 38. ipsis in templis figere aera A. III 63 [cf. pag. 11]. ipso in mari XIV 3. Adde Agr. 32. 33. G. 13. H. I 48. 68. II 14. 42. 43. III 21. IV 11. al. — G. 10: equi aluntur isdem nemoribus ac lucis. In voce lucus saepius legitur localis, ut H. II 24. 50. A. II 19, quibus locis non verba, quae ibid. leguntur, causam esse omissae praepositionis apparet ex A. I 61. II 25. — c. 37 iam attuli locum: vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia [c. 3: in ripa Rheni. c. 29: sede et finibus in sua ripa erant; posteriore loco cum duo ablativi antecederent, tertius molestior fuisset. A. III 9: die et ripa frequenti. Refutatur hoc loco lex, quam statuit Heraeus [ad H. I 2: fecundissima Campaniae ora]; negat enim localem adhiberi in iis ablativis, quorum forma cum nominativo congruat. Praeter hoc exemplum cf. H. IV 11: Appia via . . . . exstinguitur. A. II 31: mensa. — c. 39 traditur: centum pagis habitantur. Ernestius pro ‚habitantur‘: habitant, Brotierus mavult: pagi iis. Hoc magis satisfacit legibus palaeo-

graphiae — facilius enim fieri potuit, ut pro ‚pagi iis' vel ‚pagi is' scriberetur ‚pagis' quam ‚habitantur' pro ‚habitant' — et firmatur similibus locis. c. 16: nullas Germanorum populis urbes habitari. A. IV 67: Capreae Telebois habitatae. — c. 40: vehiculum et vestes et... numen ipsum secreto lacu abluitur. In dictionibus: calida aqua, frigida aqua lavare, similibus, ablativus et localis et instrumentalis intellegi potest [cf. Delbrueck. l. c. pag. 32]; nostro loco cum indicetur, ubi purgandi actio facta sit, ablativo notio instrumentalis tribui non potest. Praepositio localis legitur Hor. carm. III 12, 7, quem locum laudat Delbrueck: simul unctos Tiberinis umeros lavit i n undis.

In Historiarum et Annalium libris latius patet usus ablativi. Praeter exempla, quae iam in praecedentibus afferenda erant, invenitur H. I 64: solitis hibernis relinqui. cf. c. 55: iisdem hibernis tendentes. — II 24: dextra fronte prima legio incessit. cf. IV 77: dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique. — II 35: amne medio. — c. 43: patenti campo. III 61: proximis campis. Si dicitur de campo Martio, praepositio localis additur. cf. H. II 95. III 82. A. I 8. III 4. XIII 17. 31. — c. 62: qui acie Othoniana ceciderant. c. 66: Bedriacensi acie..... vires legionis non adfuisse. III 22: eadem utraque acie arma. Aliis locis ut H. III 51, IV 21 ablativo ‚acie' temporalis quoque notio tribui potest. Adde H. V 16. A. II 14. IV 44. XIV 35. — Eidem ambiguitati obnoxii sunt ablativi H. II 82: prima contione. III 3: ea contione. ibid. c. 36: ‚frequenti contione pietatem militum laudibus cumulat' hoc valet: apud milites, quorum magnus aderat numerus. — H. III 38: Servilianis hortis. — c. 47: ‚vacuo mari eludens' abl et localis et absolutus intellegi potest. — H. IV 11: Appia via[1]) exstinguitur. — c. 15: sustinentium umeris vibratus. Apte vertit Heraeus: hin- und hergeschwenkt a u f den Schultern der Träger; ablativus enim est localis pariter atque H. V 16: fugam animis, vulnera tergo ferre. A. I 40: parvulum sinu filium gerens. II 75: ferales reliquias sinu ferre. XIV 61: Octaviae imagines gestant umeris. Contra A. I 8: corpus ad

1) Alia est vis ablativi in frequentibus illis enuntiatis recta via ire, Salaria via proficisci, similibus. vid. infra.

rogum umeris senatorum ferendum, III 2: tribunorum centurionumque umeris cineres portabantur, cum non locus efferatur, ubi cineres portabantur, sed in eo sit vis orationis, quod ab amplissimis hominibus corpus ferebatur, ablativus est instrumentalis.[1]) — H. IV 46: neu pari causa disparem fortunam paterentur. Ut hic ablativus saepius leguntur abl. ‚statu‘ [H. I 10: lubrico statu], ‚condicione‘. A. III 73: pulcherrimo populi Romani fastigio. — c. 78: legio una et vicensima .... patentiore spatio conglobata. — ibid.: cohortes summis iugis congregabantur. — V 4 extr.: altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni fertur. [Fertur h. l. idem est, quod ‚incedit‘] — c. 5 localis legitur ex coniectura Doederlini: nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sistunt [Mediceus: sunt]. Quamquam haec coniectura aliorum locorum analogia adiuvatur, praeferendum est quod proposuit Gronovius: ‚sinunt‘; facilius enim causa corruptelae intellegitur et verbum sinendi conexui huius loci aptius est, cum sententiam efficiat graviorem.

Annalium usus ab Historiis nil fere distat; quae exstant exempla magna ex parte leguntur in nominibus, quibus ipsis locus significatur et in nominibus additis verbo, cuius notione efficitur, ut localis adhibeatur. A. I 8: tertio gradu primores civitatis scripserat, ablativus idem valet, quod ‚tertio loco‘. — ibid.: ‚in campo Martis, sede destinata cremari‘ praepositio ad utrumque ablativum pertinet, ut XI 21: in oppido Adrumeto, vacuis per medium diei porticibus secretus agitat. XIII 16: vesci in adspectu propinquorum, propria et parciore mensa. — c. 61: quo tribunali contionatus Arminius. — c 65: figi limosa humo. Adhibetur in hoc verbo localis ex analogia verborum ponendi collocandi. cf. XII 53: aere publico fixum. Contra Agr. 34: defixere in his vestigiis. A. III 63: ipsis in templis figere aera [de pronomine ‚ipse‘ vid. pag. 9]. XI 14: per fora ac templa. Nomini nude posito addita est praepositio. A. III 57: senatusconsulta figenda in curia, contra Agr. 45: ‚animo‘, quia hic ablativus notione locali est frequentissimus [vid. infra]. — II 8: classis Amisiae ore [‚ore‘ omisit Mediceus, supplevit M. Seyffert] relicta laevo amne. — c. 30 traditur:

---

[1]) De simili re dicit Delbrueck. l. c. pag. 34: Der Instrumentalis würde nur dann am Platze sein, wenn es sich um das Tragen einer Last handelte, welche die Thätigkeit der Schulter erfordert.

uni libello ... nominibus Caesarum aut senatorum additas ... notas. Satis aptis causis Nipperdeius ad h. l. ostendit, verba tradita male se habere et suo iure in ordinem verborum recepit Kritzii coniecturam scribentis: ,uno', ita ut ,uno libello' sit ablativus localis. Neque necesse est addatur praepositio. Omittit enim Tacitus in hoc nomine et in similibus, ut ,epistula' ,codicillus' praepositionem non solum si dicitur de toto argumento vel argumenti maxima parte ut Agr. 40. G. 2. H. IV 25. A. II 48 [institutio heredis gravissima pars tabularum erat] 70. III 56. IV 34. XIV 50. XV 64, sed etiam si de singulis libri, epistulae, codicilli locis dicitur. Ita H. V 2: Solymi Homeri carminibus celebrati. c. 13: antiquis litteris contineri. A. II 83: nomen Saliari carmine caneretur; nomen Germanici extremae parti carminis adiungebatur. A. III 3: non apud scriptores rerum, non diurna actorum scriptura reperio. Halmius ex voce ,apud' ad ablativum suppleri vult ,in', quo supersedere sane possumus, ut demonstrant cetera exempla. XI 11. XII 24 extr. XV 70. XVI 17. 19. Contra A. I 25: ,litterae, in quis perscriptum erat', quo loco nudum potius exspectaveris ablativum, ut A. II 70. — Hinc ad alia transeam nomina ut ostendam, Tacitum haudquaquam eam legem secutum esse in addenda praepositione aut omittenda, qua viri docti discernendum esse putant inter nudum abl. et additam praepositionem. Volunt enim addi praepositionem, si res, de qua dicitur, in certa tantum parte loci exstet, omitti, si res in toto versetur loco. Haec lex num in ullo scriptore prorsus valeat, non meum est perquirere; in Taciti libris non valere ex sequentibus apparebit.

A. III 5: externis terris crematus; intellegendus est certus quidam locus, forum Antiochiensium [A. II 73]; contra XI 16: ,in isdem terris', de tota regione dicitur. Exempla ablativi localis in pronomine ,idem' supra collegi ad Agr. 25. A. XIII 8: eodem in templo. XVI 11: eodem in cubiculo[1]) XIV 44: in agris aut domibus isdem. — A. XIII 57: illo in amne salem provenire, de toto dicitur amne. A. II 18: classis relicta laevo amne. H. II 35 amne medio, de singulis locis. — H. III 38: Servilianis hortis. — XI 37: Lucullianis

---

[1]) sequitur abl. instrum.: eodem ferro.

in hortis. H. I 49: privatis in hortis. — H. II 49: Bedriaci, Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Tota castra intellegenda esse apparet ex eo, quod saepe legitur ,celebratus per . . .' — A. I 61: propinquis lucis barbarae arae, XIV 22 finibus Tiburtum acciderat, aperte de singulis locis dicitur. — Neque in iis nominibus, quibus alii scriptores addere solent ablativum localem, Tacitus praepositione prorsus abstinet. Ita A. IV 58: propinquo rure, XV 60: suburbano rure. A. II 34: in aliquo abdito et longinquo rure. De ablativis ,parte' ,partibus' vide ad D. 18. ,In domo' legitur non solum si additum est attributum [at XIV 43: domi suae], sed etiam si nude posita est vox, ut G. 25 H. I 15. IV 79: in domibus. cf. III 31. Ablativo ,loco' addita est praep. ,in' D 35, quod attributum appositum non est. Eadem causa afferri non potest A. II 18: in loco proelii [cf. loco sentensiae H. IV 4. A. II 33. 37. 38], c. 49: eodem in loco, 83: quo in loco [ibid. et c. 73: loca, in quis]. Exempla, quae postrema attuli, tribuenda sunt imitationi Sallustii, qui in hoc ablativo cum pronominibus ,idem, is, qui ,ullus' coniuncto praepositionem usurpat. ,In loco' idem significat, quod suo, recto loco A. II 4, locum indicat, quo ipso illo tempore versantur ii, de quibus dicitur A. I 63. IV 47. XIII 41. Tropica ratione adhibito huic ablativo praepositio non additur. cf. D. 26. 37. Agr. 16. G. 8. H. I 11. 16. 57. II 1. 34. 91. IV 26. A. IV 8. XI 11. XII 2. XIII 58. XIV 63. — II 69: plumbeis tabulis insculptum. Vulgaris huius verbi coniunctio est cum dativo; sed ne ablativi quidem exemplum deest. Liv. II 33: columna aenea. Similiter Vergilius in verbo composito utitur ablativo Aen. X 845: corpore inhaerere. cf. A. IV 43: monimenta sculpta saxis et aere prisco manent. Quae cum ita sint, h. l. ,plumbeis tabulis' ablativum non falso opineris esse. — c. 80: pro munimentis manipulos explicat, colle arduo et derupto. — III 5: externis terris crematus. c. 40: secretis colloquiis componunt. Notio localis eo commendatur, quod paulo post legitur: per conciliabula et coetus; conciliabulum enim locus est, quo fit congressus, et praepositioni ,per' localis est vis. cf. A. IV 38: perstitit posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. c. 2: non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebrare. c. 27: coetibus clan-

destinis apud Brundisium et circumiecta oppida ... ad libertatem vocabat agrestia servitia. XIV 31. H. IV 17. — III 74: alio latere, paulo post: in latere — a tergo. XIII 40: latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat. — IV 5: utroque mari, ut A. II 24: eodem mari. IV 27: illo mari. — ibid. IV 27: isdem regionibus. — c. 57: pari secreto sex annos coniunxit ibid.: Rhodi secreto; secretum idem est, quod locus secretus. cf. H. I 10. III 63. A. XIV 53. — c. 69: haud minus turpi latebra quam detestanda fraude sese abstrudunt. Quamquam non abhorret a Taciti sermone coniunctio duorum ablativorum diversi generis, ut Agr. 25: pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia. H. II 22: molares ingenti pondere ac fragore provolvunt IV 45: pulsatum coetu multitudinis et iussu magistratuum. A. XVI 30: caritate [causalis] erga patrem, simul imprudentia [modalis] aetatis, (plura exempla in sequentibus afferentur,) ita ut hoc loco alter ablativus localis, alter modalis intellegi possit, rectius uterque modalis dicetur. — XI 8: implicatur obsidione urbis validae et ... firmatae. In hoc verbo et in verbis illigandi, involvendi ablativus localis statuendus est, prave dicitur instrumentalis; significatur enim, quem in locum motus fiat. cf. XIV 30: igni suo involvunt [sie hüllen sie in ihr eigenes Feuer. Nipperd.] XV 1: defectione Hyrcanorum multisque ex eo bellis illigatus, i. e. multis in bellis quasi versans. c. 51: ‚conscientia illigare‘ idem est, quod ‚in conscientiam recipere.‘ XVI 10: vidua implexa luctu. c. 32: fraudibus involuti, i. e. in fraudibus haerentes.[1]) A. XI 2: pecunia et stupro in omne flagitium [ex coniectura Rhenani; Mediceus: in omni flagitio] obstricti. Posita est praepositio ideo, quod iam duo antecedebant ablativi. H. V 15: periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur. — XII 37: alio suggestu conspicua. — c. 51: placida inluvie. Madvigius et ante eum Gronovius proposuerunt: in eluvie. At notio illius vocis, quae legitur XIII 57, huic loco apta non est; inluvies est aqua superfusa. — XIV 10: sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulo matris audiri. — c. 14: valle Vaticana. — c. 17: sub idem tempus atrox caedes orta ...

---

[1]) Ita haec verba explicanda sunt neque ulla mutatione [Nipperd. mavult: pollutos] opus est.

gladiatorio spectaculo; contra XII 41: ‚ludicro circensium' et temporalis et localis intellegi potest ablativus. — c. 20: subitariis gradibus ac scaena in tempus structa ludos edi solitos. ibid.: coetu promisco. — c. 22: finibus Tiburtum acciderat. — c. 48: carmina factitavit vulgavitque celebri convivio. — XV 40: incendium praediis Tigellini proruperat. Ex verbi significatione videtur sequi, ablativum esse separativum; at localis vis defenditur eo, quod legitur ibid. c. 38: initium [ignis] in ea parte circi ortum. — c. 69: calida aqua mersatur. Huius radicis verba sequuntur analogiam verborum abdendi, occultandi Ablativus apud prosae orationis scriptores invenitur ex Livii aetate. G. 12: caeno ac palude mergunt [Cic. De fin. II 32.: in palude demersus].

Quoniam ita pertractavi usum ablativi localis in nominibus attributo praeditis, superest ut explicem de ablativo locali in nominibus attributo carentibus. Quo in usu, ut iam supra dixi, Tacitus longius recedit a superioribus; nam ante eum rarissime adhibebatur, in Taciti scriptis multo frequentior est, imprimis in libris minoribus. Exempla, quae exstant in libris minoribus, maxima ex parte eius sunt naturae, ut quadam ex ratione probentur. Ita D. 13: ‚statuar tumulo' nudus ablativus positus est ideo, quod ad statuendi verbum referendus est, quo in genere verborum abl. loc. usurpari supra vidimus. — c. 35: deducuntur in scholas, quibus .... plus mali ingeniis afferant. Suo iure editores ante pronomen relativum addiderunt praepositionem ‚in'; rarissimus enim est localis in hoc pronomine; multo saepius praepositio additur. cf. H. II 88: locum, in quo Galba iacuisset; idem A. II 73. 83. XV 28. ‚spatium, in quo...' XIV 14 al. [Ante eandem vocem praepositio ‚in' omissa est a librariis D. 31 extr.] — Agr. 25: simul terra, simul mari bellum impellere. Hi ablativi particula ‚que' coniuncti ab omnibus scriptoribus usurpantur [apud Tac. leguntur H. III 42. 48. A. XII 18. 62.], asyndetice positi praepositione augeri solent. Apud Ciceronem nudi ablativi inveniuntur in enuntiato, quod ex poetarum sermone se sumpsisse ipse fatetur; dicit enim De fin. V 4, 9: ‚nulla pars caelo, mari, terra, ut poetice loquar, praetermissa'; apud Livium idem iam frequentius est ut I 3. XLIV 22. — Ablativus ‚mari' per se positus est A. II 49: mari rem Romanam prospere gerere. XI 14; mari praepollere.

H. II 3: dea concepta mari. — Ablativus ‚animo' [c. 18: animo intendere. c. 45: animo figere] aliis quoque scriptoribus usitatus est [plura exempla infra afferentur]. cf. c. 38: fronte laetus, pectore anxius. — c. 26: ‚iter hostium edoctus et vestigiis insecutus' ablativo modus indicatur, ut A. XVI 26: quorum vestigiis ac studiis vitam duxerit. — De loco G. 12: caeno ac palude mergunt. vid. pag. 15. — ibid. proditores et transfugas arboribus suspendunt. Si non tam de situ pendendi quam de pendendo poenae loco dicitur, praepositio localis addi solet ut Cic. Verr. III 57: tam diu pependit in arbore. Hominem suspendi iubet in oleastro. Forma locativa invenitur Liv. I 26, 6: infelici arbori suspendere; paulo post ibid.: infelici arbore; neque aliorum scriptorum libris nudus ablativus deest. — G. 46: ingemere agris, illaborare domibus. ‚Agris' et dativus et ablativus esse potest. Dativus ita est explicandus: gemunt de agris, i. e. de laboribus, qui in agris colendis perferendi sunt. Sin ablativus forma intellegitur, haec est sententia: ingemunt in agris, dum in iis versantes nimia opera sudant. Aequitas membrorum — domibus enim quin sit abl. loc, dubitari non potest — non repugnat dictioni, qua Tacitus utitur in Germania; permultis enim locis servata est, ut paulo post: securi adversus homines, securi adversus deos. c. 2: informem terris, asperam caelo, tristem cultu. cf. c. 4. 5. 13. 22. 30. 31. 45. — Agr. 35 ex corrupta lectione ‚aginequo' alii restituendum esse censuerunt: ‚agmen in aequo', alii: ‚agmen aequo.' Prior mutatio praeferenda est; neque enim difficilior quam altera est, cum lineola, qua superscripta syllaba ‚en' significabatur, a librariis saepissime omissa sit, et Taciti sermoni magis convenit. Nam in libris minoribus ablativi in adiectivis generis neutrius non exstant praeter unum iam ante Tacitum hoc sensu adhibitum, ablativum ‚medio' Agr. 6.[1]) 24. Legitur contra ‚in aequo' c. 36 [tropice H. II 20. A. XII 12]; H. IV 23 ablativo ‚aequo' non localis sed instrumentalis est vis. — In Historiarum

---

[1]) Omnibus ex partibus sanum hunc locum a codicibus traditum et eos probandos esse equidem existimo, qui interpretantur: in medio inter rationem et abundantiam ludos et inania honoris sita et ita instituenda esse putavit. — De genetivi vi cf. A. I 64: medio montium et paludum, i. e. medio inter montes et paludes. Idem Verg. Aen. IX 230. Ovid. Met. VI 409.

et Annalium libris et ablativus ,medio' frequentissimus est et aliorum adiectivorum neutrum genus eodem modo adhibetur. ,Medio' cum addito genetivo legitur A. I 61. 64. XV 18, sine genetivo H. I 68. III 16. V 20. A. II 52. III 74. XIII 38. XV 29. — H. III 19: colonia plano sita. Heraeus addendam esse praepositionem censet, nisus in eo, quod H. V 23 et Liv. IX 26 in simili verborum coniunctione legitur: in plano. Exemplum Livianum cum nullius paene momenti sit, ne ipsius quidem Taciti locus tanti est momenti, ut lectio tradita mutetur. Apparet enim ex exemplis, quae supra attuli, Tacitum in praepositione addenda aut omittenda certam legem non sequi. c. 38: ,turris vicino sita' ne Heraeus quidem ablativo offenditur. [c. 21: ,dextro' haud gravi ellipsi supplendum est: ,cornu'.] — A. IV 46: montium editis agitabant. — Quod H. II 33 ,incerto' pro ,in incerto', A. XV 2 ,integro' pro ,in integro' legitur in codice Mediceo, mero errori tribuendum est. — H. V 6: ,superiacta ut solido' ablativus non cum Nipperdeio in hoc genere numerandus est. vid. pag. 26. — In pronomine loci genetivo adiuncto ablativus invenitur A. IV 4: eodem loci, XIV 61, XV 74: eo loci, quae elocutiones ne Ciceronis quidem libris desunt.

Ut transeam ad nomina substantiva, primus locus afferendus est H. I 3: caelo terraque prodigia. vide locum Ciceronis, quem modo attuli ad Agr. 25. cf. A. VI 37: terra caelove. — c. 30: animo volvere, A. IV 40: volutare intra animum, XIV 53: intra me volvo. — agitare animo H. II 49. 78. A. VI 9. ,Fugam animis, vulnera tergo ferre' H. V 16, exardere A. I 51, maerere II 82, praecipere III 57, concipere animo XIV 2. Contra A. IV 39: in animo habere, XV 53 extr.: in animo fuit [Liv. XLIV 25, 1: animo habere] XII 3: ,nihil arduum videbatur in animo principis' omissa praepositione ambiguitas orta esset. In eodem ablativo adiectivis apposito discerni pro certo vix potest, utrum ablativo sit notio localis an relativa. Neque id quidquam affert ad rem diiudicandam, quod non minus usurpatur forma ,animi: quae forma eidem ambiguitati est obnoxia. ,Animi' enim et casus locativus et genetivus est, genetivo autem Tacitus in adiectivis pro ablativo relationis qui dicitur frequentissime utitur. — H. I 55: non quisquam in modum contionis aut suggestu lo-

cutus. Nullo pacto probari potest Heraei de hoc loco sententia; vult enim eam esse structuram, ut praepositio ‚in‘, ante accusativum ‚modum‘ posita pertineat etiam ad vocem ‚suggestu‘. Quamquam eadem praepositio duobus substantivis inter se coniunctis diversa notione nonnunquam a Tacito additur, ut H. I 20 extr.: per artem [modaliter] et formidinem [causaliter], c. 54.: ut per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur, II 88: cum terrore et armatorum catervis volitabant, A. XIII 8: pars auxiliarium apud Suriam eiusque legatum . . . remaneret, hoc loco aliter res se habet; neque enim praepositio cum accusativo coniuncta ad ablativum referri potest. — Alii proposuerunt: ‚de suggestu‘ vel: ‚e suggestu‘. At invenimus supra A. XII 37: alio suggestu, I 61: quo tribunali. Quibus locis quamquam additis attributis minus insolens est dictio, tamen ne hoc quidem tolerari nequit. cf. H. II 16: balineis interficitur [prave Heraeus ablativum temporalem dicit: ‚balineis‘ est abl. pluralis vocis ‚balinea‘, quae vox locum balneorum significat; cf. Woelfflin. Philol. XXV pag. 104]. H. I 36: non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo . . . ., praepositio addita est, quod duo antecedunt ablativi et nude posito ‚suggestu‘ nimia obscuritas orta esset. Quod idem legitur A. I 44, non tantum valet, ut eam ob causam tradita lectio mutetur; vidimus enim in praecedentibus, Tacitum in iisdem enuntiatis sermonem variare. Ceterum A. I 44 voce suggestus quidam locus editus — non enim iusta erat contio —, H. I 55 rostra oratoria significantur, et cum additum esset participium ‚locutus‘, dubitari non poterat, quin diceretur de contionando in rostris. — c. 84: urbem domibus et tectis . . . stare cf. pag. 7. — II 92: odia bello et castris male dissimulata. — IV 19: se cum exercitu tergis eorum haesurum. Quae Heraeus ad h. l. et Nipperdeius ad A. I 65 et 68 adnotant de hoc verbo, non omnibus ex partibus probanda mihi videntur. [Nipperd. coniunctionem verbi cum dativo et coniunctionem cum ablativo iisdem fere nostrae linguae vocibus explicat.] Ablativus statuendus est iis locis, quibus verbum haerendi significat inesse in aliqua re, dativus iis locis, quibus verbum accedit ad notionem se applicandi ad aliquid. Ita ablativus est H. I 47: animo, IV 23: pleraque telorum turribus pinnisque moenium irrita haerebant, A. I 65: haesere caeno fossisque impedimenta, tropica ratione A. IV 19: criminibus. cf. Hor. Sat. II 3, 205: naves

adverso litore haerentes, dativus H. IV 19, A. I 68: haesere munimentis, XIV 4: pectori haerens. A. II 14: tegmina corpori haerentia. [In exemplis, quae ex Ciceronis libris affert Nipperd. ad A. I 68, apparet dativis esse notionem commodi.] — c. 69: frequens contionibus. Notio localis intellegitur ex Agr. 37: frequens ubique. XIII 35: frequens in laboribus adesse. cf. A. II 57: rarus in tribunali. Agr. 20: multus in agmine. A. IV 55: frequens adesse senatui', dativus pendet ex verbo apposito. Ablativus localis legitur ibid. c. 3: frequens secretis. — H. IV 84: templum exstructum loco, cui nomen Rhacotis. Perperam Ritterus mavult ,in loco'. Quamquam enim vidimus Dial. c. 35 cum non additum esset attributum, sed sequeretur enuntiatum relativum, scriptum esse ,in loco', tantum interest inter Dialogi et Historiarum dictionem, ut ea re Ritteri coniectura non firmetur; refutatur eo, quod in ipso hoc nomine ablativi usus omnibus temporibus late patet et quod ablativus referendus est ad verbum ponendi, cuius usus supra attuli exempla. [Similiter codices deteriores exhibent c. 26: loco, cui Gelduba nomen est, castra fecere.] — Idem eandem praepositionem falso addidit H. V 4: penetrali, c. 5: templo. Neque enim hi ablativi repugnant dictioni Taciteae et alter ablativus aliis quoque locis hoc sensu legitur, ut A. I 10: templis et effigie numinum coli [recte Nipperdeius alterum ablativum localem, alterum modalem esse censet; vid. infra]. XIV 61: imagines foro ac templis statuunt. Quod legitur H. V 9: in templo locare, documento est Tacitum in singulis enuntiatis sibi non constare, cuius rei iam plura attuli exempla; neque hoc neglegendum est in scriptore sermonis variandi studiosissimo. Ritteri igitur mutationes probandae non sunt. — c. 23 localis adhibetur in pronomine relativo ,spatium, quo . . .', quod rarissimum esse demonstravi pag. 15.

Exempla, quae in Annalium libris exstant, plurima iam in praecedentibus afferenda erant, ut I 10: templis. c. 40: sinu gerens [vid. pag. 10 s. f.]. De locis II 17: campis. c. 31: mensa. III 5: toro [cf. Verg. Aen. VI 220: membra toro reponunt.] vid. pag. 7—8. — III 61: Delo. Ablativus in nomine insulae praeter hunc et locum quem supra attuli IV 30, invenitur IV 21 extr.: saxo Seripho consenuit. — IV 43: monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco manere. cf. pag. 13.

— c. 74: campo aut litore iacentes. — XIII 8: cohortes Cappadocia hiemabant. Recte editores addiderunt praepositionem ‚in'. Neque enim apud Tacitum neque apud ullum alium scriptorem in nominibus terrarum nudus ablativus invenitur; neque eo defenditur, quod in aliis generibus notionum localium Tacitus nominibus terrarum eodem modo utitur, quo nominibus urbium [cf. Nipperd. ad A. II 69]. Tum enim non ‚Cappadocia' scribendum erat, sed Cappadociae'. cf. XV 6: hibernavisse in extrema Cappadocia. — XIII 25: ictus ore praeferre. — XIV 20: theatro considere. cf. XVI 5: sedilibus continuare. — XV 38: lateribus-fronte. Iis locis, quibus ablativo ‚latere' vel ‚lateribus' non additum est attributum aut alius ablativus, legitur: in latere, a latere, ut G. 36. H. II 14. 25. A. III 74. Pari modo ablativo ‚fronte' per se posito praepositio additur. — XVI 2: nec confusum metallis aurum gigni. Quamvis facilis sit coniectura Nipperdei post ‚metallis' inserentis ‚aliis', necessaria non est. Neque enim in participio ‚confusus' absolute posito offendendum est, cum de eo, quod supplendum est, dubitari non possit, neque artificiosus est ablativus localis ‚metallis', ut dicit Nipperdeius, praesertim cum metalla ipsa significent locum. —

Ablativus temporalis.

Notionem loci et notionem temporis quam proxima adfinitate inter se contineri et ex re ipsa intellegitur et firmatur formis locativis, quas temporum memoria servavit, vi temporali praeditis, ut luci, mani, vesperi, die quinti, septimi, crastini, pristini. Quin etiam iidem nonnunquam ablativi et locales et temporales intellegi possunt, ut H. III 3 et c. 36: contione. A. I 55: supremo convivio. XI 11, XIV 17: ludis, spectaculis. cf. pag. 10: acie. Ut ablativus localis in vocabulis locorum, ita ablativus pro locativo omnibus linguae aetatibus adhibetur ad significandum, quo tempore aliquid factum sit, in iis nominibus, quibus ipsis spatium temporis indicatur, ut annus, mensis, dies; attributo autem carentes ablativi praeter voces: vere, aestate, hieme, rarissimi sunt. Discrimen inter ablativum et additam praepositionem indagare quamvis studuerint viri docti, nemini adhuc contigit, ut distinctionem omnibus probatam

afferret, et pariter atque in ablativo locali Tacitum hoc in genere certam legem secutum esse nego. Sunt, qui putent, praepositionem ‚in' addi, si non tam de tempore ipso, quam de temporis condicione dicatur. Huic repugnat, quod in enuntiatis temporis statum indicantibus omittitur praepositio, ut: ‚rebus prosperis' H. II 23. cf. c. 59. III 39. 50. 69. — III 18: rebus prosperis — in adversis. Agr. 6, A. XVI 35, quibus locis aperte dicitur de temporum statu, legitur: tempora, quibus ....; contra addita est praepositio Agr. 4: prima in iuventa, c. 44: medio in spatio integrae aetatis, neque dubium est, quin dicatur de tempore ipso. Quod verbis: ‚tali in tempore' A. I 65, II 84, XVI 26 temporum condicio eaque mala significatur, non praepositioni, sed adiectivi notioni tribuendum est. cf. A. IV 62: tali sorte. ‚Eo in tempore' XI 29. XIII 47. XV 7. 39 legitur ita, ut nihil differat a vulgari: eo tempore, excepto loco XV 39. Quocum si confertur Agr. 4: prima in iuventa, A. XIV 55: in ea aetate, haec primordia esse videntur dictionis ab insequentium temporum scriptoribus usurpatae; hi enim praepositionem addere ablativis temporalibus magis magisque consueverunt.[1]) — Praeter nomina illa, quae modo attuli, frequentior est ablativus ‚bello', neque tamen praepositione plane abstinent scriptores. Errant autem, qui putant nudo ablativo significari rem, quae per totum belli tempus valuerit vel ad totum bellum pertineat, addita praepositione singula belli facta. Nam H. II 27. III 26. 51. 72 bis. A. II 49, al., quibus locis dicitur de singulis rebus illorum bellorum tempore factis, nudus legitur ablativus, cf. H. II 29: plus civilibus bellis militibus quam ducibus licere. c. 34: crebris, ut in civili bello transfugiis. Ablativo ‚bello' saepius adiungitur abl. ‚pace' atque in libris minoribus ea est coniunctio, ut utrique nomini addatur praepositio ‚in' [G. 13. 18]. Idem invenitur H. I 5, II 77, al. bello-in pace H. I 18. II 82 al., pace-bello H. II 86. IV 55. Per se positus abl. ‚pace' praepositione augetur nec nisi addito attributo ea omittitur. H. I 2: ipsa pace.

---

[1]) ‚In tempore' tempus indicat, de quo illo ipso momento dicitur A. XII 46, idem valet quod, recto, opportuno, ‚suo tempore' A. I 19. 58. II 17. III 41. IV 71. VI 22. XI 5. XII 50. XIII 7. cf. ‚in loco' pag. 13.

IV 35: multa pace [in multa pace H. I 77. III 71 plane eodem sensu]. A. III 28: ‚pace et principe‘ insigni brevitate dictum est pro: temporibus pacis et regnante principe.

Haec cum Tacito communia sint cum aliis scriptoribus, eaedem quae in ablativo locali, eius proprietates sunt in usu ablativi temporalis. Leguntur enim propter studium eius adiectiva substantivorum loco usurpandi adiectiva generis neutrius et in numero singulari et in plurali. cf. pag. 16 extr. 17. Idem ablativus; qui in illo genere frequentissime adhibetur ‚medio‘, notione temporali multo pluribus locis invenitur quam ceteri H. I 62. II 53. III 11. A. XII 69. XIII 28. XIV 2, 53. In Historiis praeter hunc inveniuntur ablativi III 79: multo iam noctis [c. 77: multa nocte]. V 6: certo anni. IV 50: obscuro coeptae lucis. A. II 39: obscuro diei. — Addenda sunt ex Annalibus II 21: sero diei. III 5: asperrimo hiemis. IV 67: celeberrimo fori. VI 27: extremo anni. XIV 10: reliquo noctis. — Ablativo numeri pluralis adiectivorum ita utitur Tacitus, ut similis sit ablativo absoluto [vel ut dicit Heraeus: Ablativ des obwaltenden Umstandes] constanti ex ablativo ‚rebus‘ et adiectivo. cf. H. I 7 et 69: servorum manus subitis avidae; volgus mutabile subitis. H. IV 2 extr.: nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus, ‚Prosperis‘ non dativus, sed ablativus est, ut A. XII 5: coniunx prosperis dubiisque socia. H. IV 39: ne paratis quidem corrumpi facilis. — A. II 14: pavidos adversis, inter secunda non.... memores.

Alterum discrimen, quod intercedit inter Taciti aliorumque scriptorum sermonem, in eo est, quod fines nominum, quibus addit ablativum, longius profert. Adhibet enim non solum in eo genere substantivorum, quod supra commemoravi, sed in nominibus, quibus generaliter res aliqua vel factum significatur. Quod cum ante eum non factum sit nisi in ablativis bello, proelio, adventu, ludis et similibus, ex eorum analogia scribit G. 3: longo illo et fabuloso errore. — c. 37: occasione discordiae cf. A. IV 37. — H. I 83 extr.: consternatione proxima, A. I 49: ea seditione. — H I 49: alieno imperio felicior quam suo. II 2: suo quam patris imperio moderatior. ibid. c. 55. IV 6. A. XIII 1: aliis dominationibus fastiditus. — Eodem modo interpretandum est H. II 99: ‚irruptione hostium‘, qui locus sine causa coniecturis tentatus est; haec enim est

sententia: cum hostes irrupissent, Vitellius de ea re certior factus et perterritus est. —

His quoque ablativis Tacitus utitur attributo carentibus. Quod legitur A. I 39: ‚luce' iam apud Ciceronem [De off. III 24, 93] et Livium [VIII 38, XXV 35] invenitur. — A. III 28: pace et principe. cf. pag. 22 init. — H. I 48: Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe rexit. Iniuria Halmius et Heraeus pro lectione tradita scribunt: pro consule. Firmatur enim ablativus et Ciceronis simili loco [De orat. I 1, 3: prima aetate . . ., consulatu devenimus in medium . . . certamen] et ipsius Taciti exemplo, A. III 28: ‚Caesar Augustus, quae triumviratu iusserat, abolevit', quod ne Halmius quidem improbavit. — XV 45: aurum, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas . . . sacraverat. Ablativus temporalis ‚triumpho' cum addito atributo vel genetivo legitur Liv. XXIII 14, 4. Plin. Nat. hist. XII 20. XIV 97. Alia interpretandi ratio, ex qua ablativi non temporales, sed modales intellegendi sunt, quod idem iudicat Nipperdeius de ablativo ‚triumviratu' A. III 28, artificiosior est, quam ut probetur.

Hic est usus temporalis ablativi pro casu locativo positi. — Praeter hunc etiam casus ablativus (separativus) ad rationem temporis transfertur. Ut ex propria casus vi apparet, ablativo significatur id, ex quo computatur alicuius rei tempus, vel tempus, quo duae res inter se quasi distant. Hoc sensu ablativus usurpatur a scriptoribus in nomine substantivo coniuncto cum verbi participio perfecto, quae structura vulgo dicitur ablativus absolutus. Praeter hunc usum ablativus quamquam etiam a Cicerone et Caesare adhibetur, omnibus tamen temporibus rarissimus est propter ambiguitatem, cui obnoxius est non addita praepositione eiusdem notionis; plurima autem exempla leguntur in pronomine relativo [collegit Draeger. Synt. hist. I[1] 492—93.], in nomine substantivo Cic. Verr. IV 18, 39; 63, 140. Catull. LXVIII 25.

Tacitus eiusmodi ablativis utitur nonnullis locis in substantivis ex verbo derivatis, ut H. II 5: exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere. Ex eo tempore, quo Nero mortuus erat, odia ponere illi coeptaverant. — H. III 10: adventu deinde duarum legionum . . . ostentare vires. idem abl. H. IV 21. — H. III 11: digressu consularium uni Antonio vis

ac potestas . . . fuit. — Loci permulti ita sunt comparati, ut ablativus et huic et alii generi tribui possit, ex gr. ablativis causae A. II 44 : discessu Romanorum, H. II 63. III 41 : adventu, quos affere inutile est.

Addam his reliqua, quae pertinent ad usum ablativi de rationibus temporis et loci adhibiti. Quae quamquam non indidem orta sunt, unde eae rationes, de quibus modo dixi, apte tamen praecedentibus adiunguntur, ut uno loco peragatur de omnibus generibus, quae ad has notiones spectantia ablativo exprimuntur; nec non apparebit in nonnullis enuntiatis magnam esse inter diversa genera notionum adfinitatem. —

Casus igitur instrumentalis cum iis linguae aetatibus, quarum monimenta ad nos pervenere, iam non exstaret eiusque munere fungeretur ablativus [accuratius de vi casus instrumentalis infra dicetur], factum est, ut ablativo indicaretur spatium, per quod res aliqua patet, fines, intra quos versatur, via, per quam motus fit. Cum enim omnes res, quae exstant, versentur in spatio temporis et loci, spatium illud quasi instrumentum intellegitur, quo res exstat, vel via quae initur ad rem perficiendam. Apte hanc notionem explicat Frid. Haasius; dicit enim[1]): Wenn die Zeit auch nicht das Material ist, dessen sich der Mensch bedient, ... so ist es doch der Grund, wodurch ein Sein vorrückt, sich erfüllt und vollendet, die Bedingung des Geschehens. Mit der Vollendung der Tage vollendet sich auch die Handlung, die von der Zeitgrenze eingeschlossen und bedingt ist. — Eadem valent de notione loci et facile instrumentalis vis apparet ex his enuntiatis: H. III 82 : via Flaminia incedere. A. II 11. 68 : vado tramittit; vadum id est, per quod actio tramittendi perficitur. — Hoc sensu omnibus temporibus inveniuntur abl. via, itinere, porta, flumine, mari, et qui ad horum significationem accedunt. Neque Tacitus in hoc genere a ceterorum scriptorum dictione recedit. Jam apud priores usurpantur hac elocutiones: Raeticis iugis in Noricum flectere, agmen hibernis adhuc Alpibus transduxit H. I 70. cf. II 66. IV 68, Salaria via urbem introire H. III 78. [c. 82: pars F l a m i n i a v i a, pars i u x t a r i p a m Tiberis, pars p e r

---

[1]) Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft vol. II ed. Peter Lips. 1880 pag. 196.

Salariam Collinae portae propinquabat]. — ibid. c. 82: porta Collina irruperant. — H. IV 20, 34: ‚omnibus portis prorumpunt' et hac ratione explicari et separativi intellegi possunt ablativi. H. V 22 extr.: praetoriam triremen flumine Lupia... traxere. cf. H. II 59. — A. I 63: litore Oceani Rhenum petere, II 78: lato mari in Suriam pergere, XIII 39: Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes; priore ablativo significatur, per quam viam, altero, ex quo loco adventaverint commeatus. — XI 20: fossam viginti milium spatio duxit. — Frequentior ablativus est in nominibus propriis, H. IV 15: Oceano irrumpit, A. I 45: arma, classem, socios demittere Rheno. cf. IV 73. — A. II 60: Nilo subvehi. III 9: Tiberi devectus. cf. XV 18. 43. — Ut A. XV 9 legitur: subiectis campis volitabant, c. 58: ‚volitabantque per fora, per domos', aliis locis Tacitus studio aequitatem membrorum tollendi ductus ablativo adiungit alterum membrum constans ex substantivo et addita praepositione ‚per'. Unum iam attuli locum H. III 82. — A. I 60: exercitum ducit finibus Frisiorum, ipse per lacus... XI 18: triremes alveo Rheni, ceteras navium.... per aestuaria et fossas adegit. — XIII 53: copiae per mare, dein Rhodano et Arare subvectae per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum decurrerent. — c. 54: Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, imbellem aetatem per lacus admovere ripae. — XV 42: squalenti litore aut per montes adversos. — Ji loci, quibus eiusmodi ablativi sine attributo positi sunt, non carent analogia aliorum scriptorum. Ita cum loco H. IV 77: ‚pars montibus adsiluere' conferri potest Caes. B. c. I 70: iugis Octogesam pervenirent. — A. II 11: vado tramittere. cf. c. 68. XIV 29 extr.[1]) — Caes. Bell. gall. I 6: fluvius vado transitur. — XII 17: mari remeabant [facile apparet, aliter dictum esse hunc ablativum, aliter ex. gr. XI 14: mari praepollebant]. — XIII 54: saltibus aut paludibus. — IV 5: cohortes Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. Non separativos, sed instrumentales esse ablativos documento sunt similes loci, quibus idem sensus efficitur praepositione ‚per'. cf. H. III 76. IV 46.

---

[1]) Supervacanea est et Gronovii coniectura proponentis: ‚vada' et Nipperdei scribentis: ‚vadosa'. Mediceus: vados; litera ‚s' ex insequente voce ‚secuti' orta est.

71. A. XIII 7. 35. XVI 13. Agr. 28. Contra A. VI 12: ‚quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam ... carminibus Sibullae' Nipperdeius ablativos: Samo, Ilio Erythris, recte dicit separativos. His enim nominibus singula indicantur loca, quibus notio instrumentalis tribui non potest,illo loco A. IV 5 ut in vocibus ‚per Africam ac Siciliam' latus terrarum ambitus significatur. —

Pariter atque in ablativo locali et in temporali, ablativi adiectivorum generis neutrius pro substantivis adhibentur sensu instrumentali, rariora vero sunt exempla nec nisi in Historiarum libris inveniunter Ita H. III 23: ut tela vacuo atque aperto excuterentur. Cum antea tela concidissent per loca densis arbustis consita [c. 21], operam dabant Vitelliani, ut iacerent tela per loca, quae non ipsorum natura hostes tuerentur, i. e. per loca vacua et aperta. — H. IV 23: pars aequo adibatur. [A. II 20: pars aequo in silvam aditu incederet] — H. V 6: superiacta ut solido, i. e. per terram [A. IV 62: fundamenta per solidum subdidit]. — V 18: eques extremo paludis mitteretur. Perperam Halmius et Heraeus lectionem traditam mutaverunt scribendo; immitteretur, ita ut ‚extremo' sit dativus; mittebantur enim equites per extremam paludem. — Referendus denique huc est ablativus in adiectivis ‚totus' omnis' ‚universus'; indicatur enim iis appositis. ambitum loci late vel per magnum spatium patere, ut ex. gr. H. I 12: tota civitate sermo, c. 26: tota urbe sparsa militum castra. cf. H. II 19. 93. 95. III 13. 83. IV 18. 58. V 3. A. II 21. al.

Haec vis casus instrumentalis translata ad temporis notionem significat spatium, intra quod aliquid fit, per quod factum manet. Eandem utrique notioni subesse cogitationem apparet ex Haasii verbis, quae supra attuli, et paucis exemplis facillime demonstratur. cf. D. 9: toto anno, per omnes dies, magna etiam noctium parte unum librum excudit et elucubravit. — c. 17: sex et quinquaginta anni, quibus mox divus Augustus publicam rexit. cf. A. VI 51: [Tiberius] Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti obtinuit. — A. XIV 32: castellum biduo obsessum expugnatumque est. Ablativus ad utrumque verbum referendus est, ad prius ita, ut significet, quam longum per spatium obsidio manserit, ad posterius ita,

ut indicet, intra quod tempus perfecta sit. — Eiusmodi ablativi ut rarissimi sunt in Ciceronis, Caesaris, Livii libris [cf. Draeger. Synt. hist. I[1] 493], perpauca exstant exempla in Taciti libris minoribus; iis quae iam attuli, addendum est Agr. 14: Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit. — In Historiarum et Annalium libris latius extenditur usus;[1]) longe plurima exempla inveniuntur in ablativo ‚annis', ut H. I 5. 49. III 75. IV 17. A. I 53. III 58. IV 71. VI 51. XII 23. XVI 22: triennio curiam non introierat [Cic. Rosc. Am. 27: Roscius Romam multis annis non venit]. — H. I 48: diu exul, quatriduo Caesar, III 37: consul uno die fuerat, XI 33: ius militum uno illo die ... transferret; significatur, quamdiu imperium a Claudio ad alium transferendum esse putet Narcissus [cf. Liv. XXV 16: iam anno in magistratu erat]. — H. III 22: proelium tota nocte varium. c. 83: ne minimo quidem temporis voluptates intermissae. — XIII 51: alia... brevi servata, dein frustra habita sunt. — H. II 32: paucis diebus... adfore. — c. 95: noviens miliens sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur sagina, cf. IV 22. A. VI 16 extr. 38. XI 8. 24. XV 16. — Notio instrumentalis interdum tam prope accedit ad notionem casus locativi, ut discerni vix possit, uter casus statuendus sit cf. A. IV 27: commeantes illo mari. — H. I 5: ita quattuordecim annis a Nerone adsuefacti [sunt ii anni, quibus Nero imperator erat]. A. XIV 10: reliquo noctis. cf. c. 53. — Aliis locis praepositio ‚per' adhibetur, quibus nudum potius ablativum, i. e. casum locativum exspectaveris, ut A. I 73: per omnes domos, III 73: per intima Africae. IV 13. 67. XIV 46. XV 33. — Indidem repetenda est causa, cur adiectivis ‚totus, omnis', etiam addatur praepositio localis, ut G. 24: in omni coetu. D. 29: in tota domo. H. I 4: in toto terrarum orbe.

[1]) Inde ex Taciti temporibus hic usus magis magisque augetur; scriptores Historiae Augustae accusativo nullo utuntur loco.

Casus instrumentalis.

Casus instrumentalis, cuius unam modo tractavi rationem, in plurimis linguarum indogermanicarum periit. In lingua latina ne vestigia quidem servata sunt, vis transiit in casum ablativum. Atque duae sunt notiones principales, sociativa et quae vulgo dicitur instrumentalis. Priore significatur id, quod cum alia re vel cum homine coniunctum cogitatur. Si dicitur de hominibus, hoc ablativo significatur comitatus, si dicitur de rebus, ut varii sunt modi, quibus res cum alia re vel cum homine coniuncta cogitari potest, varia exstant ablativi genera. Prout enim coniunctio laxa est aut arta, prout intellegenda est res eo tantum, quo legitur, loco alii rei addita aut proprietas diuturna, dicuntur ablativi ‚des begleitenden Umstandes', modi, qualitatis. Cum vero indidem originem trahant, tanta sunt adfinitate, ut non paucis locis discerni vix possit, quod genus statuendum sit.

Ablativus modi.

Hoc nomine in libris de grammatica latina compositis comprehenduntur ablativi, quibus coniunctio duarum rerum exprimitur; sed parum accurate distinguitur inter duo huius coniunctionis genera. Coniunctio enim aut laxa est, ita ut altera res ad alterius naturam nihil pertineat, sed societas tantum externa sit, aut arta, ita ut altera res alicuius momenti sit ad alterius condicionem eiusque statum vel modum accuratius describat; prioris generis ablativi dicuntur ablativi des begleitenden Umstandes, posterioris modales. Haud scio an unus sit Haasius, qui [l. c. II pag. 182 et 190] distincte alterum ab altero separet et dilucide utriusque notionem explicet.[1]) Hunc

[1]) Hoc iis, qui duas huius ablativi partes magis minusve confundunt, concedendum est, quod dixi paulo ante: nonnulli loci ita sunt comparati, ut ad utramque partem referri possint. cf. D. 32: laude pro-

igitur sequens prius agam de ablativo proprie modali, qui indicat, qua ratione agatur vel quem in modum exstet res. — Qui ablativus omnibus temporibus adhibitus est in nominibus cum attributo coniunctis et nude positis neque in iis tantum, quae vulgo afferuntur, ut: iure, iniuria, ratione, ordine, sed multo latius fines patent. [cf. Kuehnast. Synt. Liv. pag. 176 seq., qui tamen distinctionem illam plane omisit.] Hoc usu cum effici possit, ut magna dicendi brevitate singulis verbis maior tribuatur vis, apud Tacitum longe profertur. Iam in minoribus libris exempla exstant, ut D. 19: vi et potestate, non iure et legibus cognoscunt. cf. c. 38. — c. 25: Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue animi iudicium detexisse. — Agr. 10: rerum fide tradentur [H. II 9: ex fide. A. IV 59: cum fide]. c. 12: quaedam nationes curru proeliantur; ablativo ratio proeliandi significatur. — c. 22: nullum castellum pactione ac fuga desertum, i. e. ita, ut foedus factum ac fuga temptata esset. — c. 36: simul constantia, simul arte Britanni .... missilia nostrorum vitare vel excutere. — c. 37: in fugam versi, non agminibus nec ... respectantes. Et hic et ablativus ‚agmine' iam Livio usitatus est. — G. 24: saltu inter frameas se iaciunt. — c. 39: omnes populi legationibus coeunt. — c. 46: ‚latrociniis pererrare' non est vagari atque in vagando praedam agere, sed pererrare in modum latrocinii, ut legitur A. XII 39. — In Historiarum et Annalium libris et vulgares ablativi [ut: sponte, nomine, specie, similes] frequentissimi sunt et in maiorem nominum numerum usus transfertur. [Nude positus ablativus ‚lege' vel ‚legibus H. II 86. A. III 24. 69. IV 19. 43. XII 60. XIII 28; ‚iure" A. II 46. 76. 80. III 12. 24. XII 23. XIV 43; more H. II 10. A. I 10; contra ‚ex more' H. I 90. II 55. A. XV 2, 29, 35. Agr. 43 aliisque multis locis. ‚consensu' H. I 13. 55. II 88. IV 25. A. I 44. XIV 9. 26, addito genetivo H. I 49. II 78. ‚adsensu' addito attributo H. II 10. A. III 34. XIV 12. XV 22; ‚cum adsensu' H. IV 15. 43. A. II 38.]

H. I 65: Galba reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat. vid. Heraei interpretationem. cf. A. XII 41:

sequi. A. XIV 15: stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. ibid. c. 16: non impetu et instinctu nec ore uno fluunt carmina.

libertorum si quis incorrupta fide, depellitur tali occasione. XV 71: pellitur Rufius Crispinus occasione coniurationis [G. 37. A. IV 37 idem ablativus est temporalis]. — c. 77: praetexto veteris amicitiae. cf. II 100. III 80. — II 33: imperitia properantes, 34: quando hostis imprudentia rueret. His et similibus locis A. XIII 36. XIV 5 ablativo causalis quoque notio tribui potest; aliis locis in eodem ablativo et notio modalis et instrumentalis [quae vulgo dicitur] iure intellegi posse videtur. Quod praeter cetera cadit in nomina apposita verbis agendi, ut dolo agere, vi grassari [cf. H. IV 16. 56. A. II 64. XI 19. XIII 4. XV 60], tempus degendi [cf. G. 15. 22. H. II 21. V 15 extr. al.] Nostro loco notio modalis defenditur eo, quod legitur c. 39: promoveri... castra placuit adeo imperite.... cf. XVI 30: Servilia caritate erga parentem, simul imprudentia aetatis consultaverat. Prior ablativus est causalis, alter ‚imprudentia' modalis; consultaverat enim Servilia adducta patris amore, sed tam imprudenter, ut eius aetatis homines facere solent. — c. 42: ‚catervis et cuneis concurrebant' ex analogia frequentioris ablativi: ‚agmine'. vid. Agr. 37 cf. III 29: septimani cuneis nituntur. IV 16: Batavos propriis cuneis componit [G. 6: acies per cuneos componitur.] V 16: Civilis haud porrecto agmine sed cuneis adstitit [IV 78: consistunt per cohortes et manipulos]. A. IV 51. XIV 37. — Similes sunt hae elocutiones: H. IV 27: acie certatum, i. e. iusti proelii ratione [proelio congredi A. XII 54. I 49.] A. IV 47: dux acie suggressus. c. 73: acie compositi. A. II 80: veterani ordinibus ac subsidiis instructi [ibid. c. 45: deriguntur acies... disiectas per catervas]. — H. IV 56 extr.: furtim magis quam bello Canninefates incursabat. XIII 37: non furtim iam sed bello infensare. Agr. 17: magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. — H. V 17: ‚quorum numine', dictum est pro vulgari: ductu, auspiciis [H. I 37]. — A. I 9: socordia senuit. — ibid.: non regno neque dictatura, sed principis nomine constitutum imperium. — c. 10: [templis et] effigie numinum coli. vid. pag. 19. Recte de hoc loco Nipperdeium iudicare firmatur loco A. IV 37: effigie numinum sacrari. — c. 59: proditione... bellum tractare. cf. II 88: non fraude neque occultis, sed palam et armatum... ulcisci. — III 42: militia disciplinaque nostra habebatur. XII 47:

volgus duro imperio habitum. cf. c. 51. XIV 6. 59. — IV 12: senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat. Addito genitivo hic ablativus legitur H. I 45. II 61 [idem Caes. B. c. I 9. II 40]. — c. 46: montium editis incultu atque eo ferocius agitabant. Frustra hic locus coniecturis tentatus est: haudquaquam enim ablativus repugnat sermoni Taciteo, praesertim cum legatur in verbo agendi, cui apponuntur non solum frequentiores voces, legibus A. IV 19. XIII 28, iure — armis si ageretur A. II 80, causa — vi agere XIII 37, sed H. IV 62: rubore et infamia, A. I 68: haud minus inquies Germanus spe, cupidine et diversis ducum sententiis agebat. — XII 12: non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt. Addito attributo legitur H. II 66: eo flexu itineris ire. — c. 55 extr.: Troxobore paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit. Ablativus non est instrumenti: composuit Clitas modo non tam infesto, quam quo in Troxoborem consuluerat. — XIII 20: vigilata convivio nox. — c. 35: venia delictum prosequi. — Cum loco, quem modo attuli c. 37: ‚causa — vi agere‘ confer Cic. ad Qu. fr. I 2, 2: scio te fecisse cum causa. — XIV 16: non impetu et instinctu nec ore uno fluens carminum species. vid. pag. 29. not. — c. 39: missus est Polyclitus, magna Neronis spe, posse auctoritate eius... animos pace componi. Nipperdeius ‚pace‘ non ablativum modalem sed instrumentalem dicit. At refutatur eo, quo ipse nititur. Ablativus enim qui antecedit ‚auctoritate‘ certe est instrum., duo autem eiusmodi ablativi eidem verbo appositi molestiores sunt. Neque ea interpretatione tollitur tautologia, quam Nipperdeius effici putat modali notione vocis ‚pace‘. — XV 38: impetu pervagatum incendium. — c. 46: Spartacum et vetera mala rumoribus ferre, i. e. sermonibus et colloquiis agitare de Spartaco. cf. XVI 2: nec aliud... populus credulitate, prudentes diversa fama tulere. I 4: imminentes dominos variis rumoribus differre. — XVI 1: coniectura demonstrat, i. e. non in iustae argumentationis modum, sed ita, ut opinione auguratur. — c. 5: officio legationum aut privata utilitate advenerant. ‚Officio‘ ablativum modalem et, ut appositam vocem ‚utilitate‘, causalem aequo iure dicas. De coniunctione duorum ablativorum diversi generis vid. pag. 14. — c. 26: quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum

gloria peteret finem: obiret diem supremum pariter laudatus atque ii, quorum vestigia et praecepta normam vivendi secutus esset.

Quod postremo loco attuli exemplum aptum est ad demonstrandum, quid sit discriminis inter duas ablativi modalis partes, quas discernendas esse initio dixi. Verbis ‚vestigiis et studiis' indicatur. qua ratione, quo modo ille vixerit, ‚gloria' non ratio moriendi significatur, sed id, quod mortem prosequetur, quod una cum morte aderit. Significatur igitur iis, quos in praecedentibus attuli, ablativis res, quae nominis, cui apposita est, condicionem accuratius describit et quasi inhaerens cogitanda est; altera ablativi modalis pars eius est naturae, ut exprimet, rem alii rei extrinsecus adiunctam esse, societatem cum nomine apposito non inire.[1]) Itaque fortior est vis sociativa quam in priore parte eamque ob causam, cum haec ablativi natura in dies magis obscuraretur, addebatur praepositio eiusdem notionis nec nisi raro omittebatur, ut in Enniano illo: ‚Nemo .... funera fletu faxit'; unus eiusmodi ablativus frequentior est: silentio. Brevitatis studio adductus Tacitus hunc usum late protulit [cf. pag. 29], atque optime demonstrari potest, qua ratione in singulis libris progressus sit. In Dialogo unum exstat exemplum in nomine nude posito c. 32: laude prosequi [A. IV 38: cum laude et bonis recordationibus prosequi]. At c. 30 extr.: cum voluptate, c. 34 extr.: cum admiratione. Cum loco c. 32 conferri potest Caes. B. g. II 5: Caesar Remos cohortatus liberaliterque oratione prosecutus. — In nominibus cum attributo coniunctis et additur praepositio, ut c. 8. 22 et omittitur, ut c. 39: concursu totius civitatis et accusati et defensi. cf. Agr. 33: iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu. — ibid. Agr. 33: excepere orationem alacres... cantu fremituque et clamoribus dissonis. — c. 35: media campi covinnarius eques strepitu ac discursu complebat. Ablativi non referendi sunt ad verbum complendi, sed haec est sententia: equites media campi complebant et in complendo strepebant hucque et illuc currebant; absolute po-

---

[1]) cf. Haas. l. c. II p. 190: Der Ablativ bezeichnet ganz materiell die Gesellschaft; er ist dem Subject gewissermaassen coordinirt und bezeichnet nur ein zufälliges Hinzutreten der einen Person zu einer anderen oder einer Sache zu einer Handlung.

situm est verbum, ut G. 35: tam immensum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, H. II 14: quantum... aequi loci, praetorianus miles expleret. cf. H. III 69. A. I 31. 63. XII 56. XV 33 extr. al. — Ablativus in nomine cum attributo coniuncto legitur c. 40: brevi osculo et nullo sermone excepit. cf. XIV 4: venientes excepit manu et complexu. — Iam in Germania latius patet usus ablativi. Ita D. 34: cum admiratione, G. 7 in eadem voce omissa est praepositio: duces exemplo potius quam imperio ... admiratione praesunt, i. e. ita ut admirationem efficiant. — D. 10: cum auctoritate dicere. G. 11: audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate, i. e. suadendo plus valent, quam potestate iubendi. — Agr. 31: corpora ... inter verbera ac contumelias conteruntur. G. 19: maritus per omnem vicum verbere agit. — G. 26: labore contendunt: contendunt et in eo labores perferunt. Lectio, quam praebent praeter codices deteriores prima manus codicis Leidensis et margo Vaticani: ‚laborare' stare non potest; nimis tortuosa est Kritzii interpretatio.

Exempla, quae in Historiarum et Annalium libris leguntur in nominibus attributo non praeditis, plurima ita sunt comparata, ut duorum [vel plurium] substantivorum ablativi coniuncti sint. Ita H. I 27: adgregantur alii conscientia, plerique miraculo [uterque ablativus causalis], pars clamore et gaudiis, pars silentio. cf. II 70: volgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via. IV 23: clamore atque impetu invasere vallum. idem A. I 68. H. V 15 extr.: nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta. — H. II 29: silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. IV 72: ‚lacrimis ac silentio veniam poscebant'. Ut apparet ex verbis antecedentibus: ‚vocem precesque adhibere non ausi', ablativi hoc loco instrumentales sunt. Fluctuant inter hanc et modalem notionem loci H. II 90: volgus clamore et vocibus adstrepebat. III 10: fremitu et clamore ceteros aspernantur. c. 83: populus illos clamore et plausu fovebat. — III 33: verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari. cf. G. 19. — IV 53: senatus et eques studio laetitiaque conixi. — c. 62: tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque ... paventes, melior pars rubore et infamia. —

c. 81: quidam remedium caecitatis exposcens gemitu. Praeter hunc locum per se positus ablativus legitur H. I 52: quaedam iudicio fiebant i. e. bono cum iudicio. A. II 63: abiturum fide, qua venisset. — A. I 17: precibus vel armis adire. — c. 20: irrisu ac contumeliis, postremo verberibus insectantur [H. IV 45: cum contumeliis ac probris]. — c. 34 extr.: silentio haec vel murmure modico audita. cf. III 1: rogitantes inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent. Contra I 67: dicta cum silentio accipere; saepius invenitur ‚per silentium', ut II 38: plures per silentium aut occultum murmur excepere. IV 53. XI 37. XIV 10. XVI 25. H. II 74. al. ‚Cum silentio' plane idem valet, quod ‚per silentium' et quod nudus ablativus. — I 59: fama ... spe vel dolore accipitur. II 70: Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. —

Cum in his, quae modo attuli Tacitus ut in omnibus fere, quae in suo dicendi genere novavisse videtur, eo tantum differat a ceteris scriptoribus, quod sermoni illis usitato ampliores terminos constituit, iam transeundum est ad proprietatem a ceterorum scriptorum usu plane alienam. Si enim res homini adiungitur, quae plane extra illum versatur et ipsa est res concreta, ut vestis arma, ipsi homines, praepositio in nominibus attributo praeditis frequentius addi quam omitti solet, in nominibus per se positis nullo loco omittitur. Ita cum nitatur aliorum scriptorum analogia H. IV 53: ingressi milites felicibus ramis, c. 83: in caelum igne plurimo attolli, A. IV 25: concentu tubarum ac truci clamore aderant, idem dici nequit de iis, quae iam afferam. A. IV 39: praesentem scripto adire. Adibant Caesarem scriptum in manu tenentes [cf. Suet. Oct. 84]. — VI 35: Sarmatae omisso arcu gladiis contisque ruunt. ibid.: clamore, telis, equis concurrunt. XII 35: telis adsultantes. Non apte comparantur H. II 88: gladiis invadere, IV 29: propellere umbone, pilo sequi; hi enim ablativi instrumentales sunt ut A. I 48: ferro invadere. Propius accedit H. I 79: ‚miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans', eo vero, quod antecedit ablativus nominis cum attributo coniuncti, minus durus est nudus ablativus ‚lanceis'. Solis igitur in Annalium libris Tacitus hoc admisit; neque tamen addenda praepositione plane abstinuit. cf. XIV 11: missum cum telo unum. cf c. 10. 24. al.

Eiusdem generis sunt ablativi A. IV 44: exercitu flumen Albim transcendit. XI 14: Cadmus classe Phoenicum vectus. XIII 7: expedire copias, quis Parthorum fines intraret. Ceterum Tacitus in usu ablativi comitatus nihil distat ab aliorum scriptorum ratione: nomini cum attributo non coniuncto addit praepositionem, in nominibus attributo praeditis modo addit, modo omittit; neque certa lex de ea re constitui potest. Sunt qui putent praepositionem addendam esse in certi numeri commemoratione; quod in Taciti libris non valet. cf. XV 7, quo loco quamquam sequitur alter ablativus modi, praepositio omissa est: duabus legionibus ... Armeniam intrat tristi omine. — H. IV 24: ‚legatus quam maximis per ripam itineribus, ipse navibus celeraret'. cf. V 22: ‚navibus remeabat' ablativus idem significat, quod G. 2: non terra olim sed classibus advehebantur. H. I 23: classibus urbes adire, i. e. itinere maritimo. A. I 70: quo Caesar classe contenderat' ex re ipsa efficitur, ablativum eodem modo explicandum, non navium numerum intellegendum esse; duae enim sunt naves. c. 60. 70. — Iidem loci luculentissima exempla sunt adfinitatis, quae est inter ablativum modalem et instrumentalem, qui vulgo dicitur. —

Restat, ut dicam de hoc ablativi genere in nominibus cum attributo coniunctis. Tacitus cum brevitatis studio adductus id agat, ut unicuique membro quam maxima sit vis, ita utitur his ablativis, ut sint pro plenis enuntiatis, quibus significetur consilium, quo quis agit, effectus rei, condicio, qua afficitur actione quadam et ipse qui agit et alius homo, causa, ex qua res ita, ut eveniant, fieri scriptor sibi persuasit; neque raro hi ablativi ad totius enuntiati argumentum plus afferunt quam sententiae primariae. Qua re dictio efficitur pressa eademque gravitatis roborisque plena. Plerumque tales ablativi non modales, sed absoluti dicuntur; sed falsum hoc esse inde intellegitur, quod iisdem enuntiatis, quibus nudus ablativus additur, et similibus aliis locis additur praepositio. H. IV 30: turres perfregere multa superstantium pernicie. cf. II 21. III 27. A. XII 39; contra H. III 22. 27. IV 27: multa cum strage. — A. XIII 11: magnis patrum laudibus — IV 15: magna cum adseveratione principis. — A. II 72: exstinguitur ingenti luctu provinciae. — I 40: multo cum fletu, c. 49.

VI 46: plurimis cum lacrimis.[1]) — In adiectivo ‚nullus' praepositio omnibus locis omissa est. — Sunt igitur ablativi, quos in sequentibus afferam, non absoluti, sed sociativi; adiungunt enim sententiam quandam enuntiato primario; falsum illud nomen eo ortum est, quod parum cognita erat propria ablativi vis. Pertinent huc qui a grammaticis dicuntur ‚lose Ablative' et apto utitur exemplo Madvigius [Grammat. lat. Brunsv. 1856 § 258 not.] A. I 62: exstruendo tumulo caespitem ponit gratissimo munere in defunctos. Verbis ‚gratissimo munere' non significatur, quo modo caespes positus sit, non actio ponendi accuratius describitur, sed additur, ad defunctos qua ratione pertineat, cuius momenti sit. — Similiter Agr. 7 extr.: rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse' ablativo non indicatur modus cupiendi, sed adiungitur Taciti iudicium de re proposita. cf. H. II 29: utili moderatione. — Exempla cum omnia affere longum sit, luculentissima elegisse satis habebo. H. I 23: milites . . . memoria Neroniani comitatus contubernales appellando: in alloqendo commonefecit eos Neroniani comitatus [A. II 53: castra cum recordatione maiorum suorum adiit]. — c. 29: Caesar adscitus sum, quo domus nostrae aut rei publicae fato, in vestra manu positum est. — c. 44: honore Galbae. Similis est locus A. XV 28, quo tradit Mediceus: in castra Tiridatis venere, honor eius ac ne metueret iusidias. .In lectione aperte corrupta cum medela petenda sit ex legibus palaeographiae et ex codicibus deterioribus et cum utraque ratione commendetur lectio: ‚honore', adstipulandum non est Halmio et Nipperdeio, qui Lipsium secuti ‚honori' in ordinem verborum receperunt. Neque eo refutatur haec sententia, quod sequitur enuntiatum finale; hoc enim in scriptore membra orationis variandi studiosissimo nullius est momenti, praesertim cum legatur in Annalium extrema parte. ‚Honore eius' dictum est ut: bono, commodo, damno alicuius. — H. II 21: Caecina multo suorum sanguine pulsus. cf. III 27: maiore Flavianorum pernicie. — II 37: duces Othonianos spatium ac moras suasisse praecipua spe Paulini. c. 66: legiones hostilia loquebantur, praecipua quartadecumanorum ferocia. — c. 46:

[1]) cf. Cat. r. r. 141: cum dis volentibus. Enn, ap. Cic. Off. I 12, 38 extr.: volentibus cum magnis dis. Liv. XXI 43: cum diis bene iuvantibus.

maiore animo tolerari adversa quam relinqui, i. e. maioris animi esse tolerare quam relinquere adversa. — III 12: exitiosiore discordia non suspicionibus volgi, sed perfidia ducum turbabantur. Discordiam ex ducum perfidia ortam perniciosiorem fuisse dicit Tacitus quam suspiciones volgi. — c. 28: integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. — c. 72: Capitolium incensum quo tantae cladis pretio? i. e. quid pretii inde redundavit ad auctores incendii? cf. IV 18: ut maiore pretio fugeret. i. e. ut maius pretium fugae acciperet. cf. c. 27. A. III 49. — H. IV 50: servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit. Servus mentitus est, sed, addit Tacitus et in eo est vis sententiae, mentiendo egregium edidit exemplum. cf. c. 70: honesto transfugio rediere. — V 1: . . . . gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore, cf. A. I 47. II 30. — A. I 18: leviore flagitio legatum interficietis quam ab imperatore desciscitis: levius flagitium est caedes legati quam defectio ab imperatore. cf. XII 65. — c. 38: iusserat... praefectus bono magis exemplo quam concesso iure: bonum potius edidit exemplum quam concesso iure egit in iubendo. cf. XV 57: clariore exemplo. — c. 62: gratissimo munere vid. pag. 36. — II 20: tanto pluribus vulneribus deiecti. — c. 26: nulla ducis culpa. — III 14: deductus est, vario rumore..., varius rumor ortus et abductum quasi prosecutus est. cf. XIV 20: ludicrum Romae institutum est... varia fama. — ibid.: ‚tot adstantium visu', ut IV 69: plurium auditu acciperentur. — c. 53: unius invidia peccatur: invidia peccatorum ad unum refertur. — IV 29: accusator Lentulum nominat magno pudore Caesaris. [XIV 48: Paetus Thrasea multo cum honore Caesaris.... disseruit. VI 15: levi cum honore iuvenum.] cf. V 3: incusavit magno senatus pavore ac silentio. VI 3: Caesar Sextium Paconianum praetorianum perculit magno patrum gaudio [H. III 36: multa cum exsultatione]. XII 17. 39. XIII 11. XIV 39. 46. — c. 47: pepulit modico barbarorum sanguine. — c. 58: ‚iis motibus siderum excessisse Roma', ut frequentior dictio: ominibus adversis c. 64. cf. XV 7. H. I 37. — XI 4: inquit.. eleganti temperamento. vid. ad H. IV 50. — XII 8: ut Domitii pueritia tali magistro adolesceret. — XIII 13: Nero misit matri donum nulla parsimonia. Recte Nipperdeius adnotat:

nihil cogitans de parsimonia. — XIV 11: temporum Claudianorum obliqua insectatione flagitia transtulit, publica fortuna exstinctam referens [XV 18: cum insectatione priorum principum]. — c. 20: ludi servarentur nulla cuiquam necessitate certandi, i. e. ludi servarentur neve cuiquam necessitas imponeretur certandi. — XV 3: subsidium Tigrani mittit occulto praecepto. [Adverbium adiectivi est ‚occulte'. A. I 48]. Omissa est praepositio hoc loco et A. I 24: ‚nullis satis certis mandatis', quod utroque loco antecedit membrum orationis praepositione ‚cum' praeditum, nostro loco: legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano. Contra H. II 40: aderat citus equo Numida cum atrocibus mandatis. A. XV 27: adiungit centuriones cum mandatis non immitibus. — c. 7: pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia .... c. 11: cuncta metu extollentes facili credulitate eorum, qui .... Peditibus in augendis rumoribus facile fides habebatur ab iis, qui eadem pavebant. — Numerandus denique in hoc genere est locus XVI 33: Cassius Asclepiodotus bonis exutus et in exilium actus est aequitate deum erga bona malaque documenta. Cassius Asclepiodotus in exilium actus est et — addit Tacitus, quid iudicet de hac re — in eo apparuit aequitas deorum erga bona malaque documenta.[1])

Ablativus qualitatis.

Ablativus sociativus translatus ad nomina, quae non actionem aliquam accuratius describunt et eo tantum, quo leguntur, loco de illis substantivis valent, sed proprietatem diuturnam indicant, si coniungitur cum verbo substantivo, dicitur ablativus qualitatis. Apparet ex hac ablativi qualitatis origine, quid sit discriminis inter genetivum qualitatis et ablativum. Genetivo, cum sit casus γενικός, significatur proprietas ad rei genus et naturam pertinens, ablativo singulae potius qualitates, quae eo, quo leguntur, loco quandam ob causam substantivis

---

[1]) Eiusdem generis sunt ablativi A. III 19: is finis fuit ulciscenda Germanici morte. XIV 4: Nero ... prosequitur abeuntem artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione, seu ..... VI 32: regendis provinciis prisca virtute egit. De gerundivo cf. Nipperd. ad VI 32. Haas. l. c. II 193.

adiunguntur. — Ex usu praedicativo ablativus qualitatis eo progreditur, ut omissa coniunctione cum verbo substantivo attributi munere fungatur. Qua re a propria ipsius natura recedit; haec enim est adverbialis, usu attributivo quam proxime accedit ad genus adiectivorum. Idcirco ad significandas duas proprietates eidem substantivo additas rarissime ponitur adiectivum et ablativus qual., cum ea coniunctione genetivus qual. saepius inveniatur. Tacitus vero cum aequitatem membrorum tollere quam diligentissime studeat idemque pro adiectivis usurpet adverbia et substantiva[1]) cum praepositione coniuncta, etiam ablativum qual. adiectivis addit et asyndetice positum et particula copulativa adiunctum, ut H. III 38: stirpe imperatoria comis ac magnificus. c. 83 extr.: nulla partium cura, malis publicis laeti. V 6: lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior . . . pestifer. cf. A I 4. 13. 64. II 2. IV 20. 59. VI 21. 34. XIII 1. — H. I 34: iuvenis recenti favore et infensus Tito Vinio. V 11: turres mira specie et . . . pares. A. I 7: verba pauca et sensu permodesto, c. 46: princeps longa experientia idemque severitatis et munificentiae summus. cf. II 9. 66. 75. VI 5. 47. XV 69. Documento sunt hi loci, H. I 88 et c. 90 lectionem codicum Florentinorum a b [Medicei bifolium haec capita continens periit. cf. Halm. appar. crit.] veram esse. Priore loco traditur: ‚primores senatus aetate invalida et longa pace desides', altero: iustissimum donum et in specie magnificum, sed . . . usu sterili. Perperam Halmius et Heraeus in ordinem verborum receperunt: aetate invalidi, usu sterile. In voce aetatis ablativus qual. frequentissimus est [cf. H. III 33. 67. A. XIII 1. XV 69. I 46. II 60. V 10. VI 11. XII 42. XV 28] et quamquam H. III 65, A. III 43 legitur adiectivum: ‚invalidus senecta', lectio tradita tenenda est. Omisso enim eo, quod haud raro in iisdem enuntiatis Tacitus variat formam dicendi, Historiarum loco iam unus adest ablativus: ‚erecto animo', Annalium loco ambiguitas orta esset; nam causalis quoque notio ablativo tribui poterat. — Etiam genetivus qual.

---

[1]) Paucis exemplis, quae attulit Rothius in edit. Agr. Norimb. 1833. pag. 142 extr., adde H. II 14: quingenti Pannonii nondum sub signis [pro: subsignani]. I 24: Maevius Prudens e proximis Tigellini. 31: e Galbae amicis. 46: Plotius Firmus e manipularibus cf. c. 49. 68. 80. A. II 77. III 22. 38. 66. IV 42. al.

et ablativus a Tacito coniunguntur, cuius rei exempla infra afferam.

Longius a propria sua natura ablativus qual. recedit eo, quod appositionis munus sustinet; ponitur enim sine nomine appellativo, quod addi debebat ad significandum genus rei, cui additus est ablativus. Hic usus quamvis a casus natura abhorrens, superioribus temporibus non deest [cf. Draeger. Synt. hist. I[1] 501], augetur a scriptoribus Augusti imperatoris aetate florentibus, maxime a poetis. Apud Tacitum [1]) qui late usum extendit, longe plurima exempla sunt in ellipsi vocis hominis nec scio an unus locus sit, quo supplenda est vox ,res' A. XIII 54: quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione [sine causa Rhenanum secuti Halmius et Nipperdeius scribunt: aemulatio]. — Cum legitur H. I 15: ,est tibi frater pari nobilitate etc.', ut ex rerum conexu intellegitur, non id effertur, quod frater Pisonis eadem fuit nobilitate, qua ipse Piso, sed quod omnino frater fuit Pisoni et in eius rei commemoratione additur, pari eum fuisse nobilitate. Supplendum igitur est ,homo' vel ,vir'. Similiter A. VI 31: auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, XII 44: erat Pharasmani filius nomine Radamistus, decora proceritate . . . verba pertinent tantum ad voces ,Sinnaces' ,filius', ad ablativos qual. supplendum est ,vir' ,iuvenis' cf. A. II 9: erat is in exercitu cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo. — H. II 59: Iunius Blaesus, Lugdunensis Galliae rector, genere illustri, largus animo . . . — A. I 4: accedere matrem muliebri impotentia, scil. feminam. c. 8: senem principem, longa potentia, scil. virum. cf. c. 46. — c. 60: Inguiomerus, Arminii patruus, vetere apud Romanos auctoritate. cf. XV 34. — IV 66: P. Dolabellam socium delationis exstitisse miraculo erat, quia claris maioribus . . . suum sanguinem perditum ibat. — VI 48 extr.: Balbus truci eloquentia habebatur. cf. XIII 6: Burrum et Senecam multarum rerum experientia cognitos. — XV 38: ad haec lamenta paventium, feminarum, fessa aetate aut rudis pueritiae'. Vocem: ,aetas', quae post ,pueritiae' legitur in

[1]) De genetivo qual. eadem ratione usurpato cf. Zernial. l. c. [vid. pag. 6 not.] pag. 9 seq.

codice Mediceo, eiciendam esse recte viderunt editores. Ablativus ,fessa aetate' non pertinet ad genetivum ,feminarum' — tria enim sunt genera paventium, feminae, senes, pueri — sed eadem ratione, qua genetivus ,feminarum', ablativus qual. [et genet. qual.] appositus est voci ,paventium'.

Frequentissime hoc usu ablativi qual. adduntur pronominibus et nominibus propriis, quibus ne adiectiva quidem adiungi solent nisi adiecto nomine appellativo, in libris maioribus. In libris minoribus unum exstat exemplum Agr. 16: Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis. c. 36: ,Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris missilia nostrorum vitare vel excutere'; quem locum huc referunt Kritzius et Joh. Muellerus [1]) ablativi sunt instrumentales. — Ut transeam ad libros maiores. H. I 4: deterrimi servorum et qui adesis bonis [c. 88: multi afflicta fide]. cf. III 25: qui nullo rectore. A. I 53: Sempronius Gracchus, qui familia nobili, sollers ingenio . . . eandem Iuliam temeraverat. cf. VI 27 extr. XVI 1. — A. IV 11: quis mediocri prudentia. — c. 40: quosdam insigni tranquillitate vitae. XIII 54: quosdam externo cultu. cf. VI 9. — A. I 41: ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia, scil. femina. III 55: antiquo ipse cultu victuque. cf. IV 56. XIV 22. — VI 21: is litterarum ignarus, corpore valido . . . praeibat eum. cf. XI 36. II 9.

Saepius quam pronominibus Tacitus nominibus propriis addit ablativum qual. non adiecto nomine appellativo. H. I 48: Piso . . . fama meliore quam fortuna [c. 34: Piso, ut iuvenis magno nomine, recenti favore . . .]. c. 52: Verginius equestri familia, ignoto patre, scil. vir. cf. c. 72: Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta. II 86: C. Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. III 9. IV 5. 15 [stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni. Iniuria Kiesslingius et Wurmius scribunt: insignis; neque enim ipse ablativus qual. neque coniunctio cum genetivo qual. a Taciti sermone abhorret]. I 53: Caecina decorus iuventa, corpore ingens, animi immodicus, scito sermone, erecto incessu. — II 48: Salvium Cocceianum, fratris filium, prima iuventa, i. e.

---

[1]) Beiträge zur Kritik und Erklärung des C. Tacitus. I—IV Innsbruck 1865—75. IV p. 40.

admodum adulescentem. — c. 76: Vitellius nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio provectus. Unus ablat. ‚odio' ad participium referendus est. cf. c. 81: Sohaemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens. A. II 66: vetus stipendiis et arta cum rege amicitia [VI 7: modeste habita amicitia]. c. 75: defessa luctu et corpore aegro. III 65: sententiae insignes per honestum aut notabili dedecore. Si ablativus penderet ex adiectivo. ‚insignis', molesta tautologia esset in verbis. VI 47. XII 31. 40. — H. IV 25: Vocula mira constantia, scil. homo. Non est enuntiatum modale, ut Agr. 9: naturali prudentia, H. III 54: notabili constantia. — c. 42: Messala nondum senatoria aetate. Non temporalem esse ablativum sequitur ex eo, quod tempus indicatur appositis verbis ‚eo die' et quod legitur A. IV 29: Lentulus senectutis extremae arcessitur. [Liv. XXX 26: Fabius moritur exactae aetatis.] In voce aetatis ablativum qual. frequentissimum esse supra demonstravi. — A. I 13: [Arruntium] divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice suspectabat. — c. 19: Blaesus multa dicendi arte. cf. XVI 22 extr.: Marcellus acri eloquentia — c. 29: Drusus quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita. cf. XV 52: L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii elatus [participium non referendum est ad ablativum priorem]. — c. 46: Augustus fessa aetate, Tiberius vigens annis, i. e. Augustus senex. — II 43: Cn. Piso, ingenio violentus et obsequii ignarus, insita ferocia a patre Pisone. c. 66: Pomponius Flaccus vetus stipendiis et arta cum rege amicitia. — III 75: Capito Ateius ... avo centurione, patre praetorio. cf. IV 20: Messalinus Cotta haud minus claris maioribus. 61 bis. VI 31. 49. XI 24. — IV 29: Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore arcessuntur. — c. 44: obiit L. Antonius, multa claritudine generis, sed improspera. cf. XIII 30: L. Volusius egregia fama concessit. — — c 59: Nero quamquam modesta iuventa. VI 11: Taurus Statilius, quamquam provecta aetate. — V 8: Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri. — XII 30: Vangio ac Sido egregia adversus nos fide. — c. 42: propugnator eius Vitellius validissima gratia, aetate extrema. — XIII 15: Locusta multa scelerum fama. — XIV 29: Veranius ... morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, ... mani-

festus. — c. 57: Plautus magnis opibus. cf. XV 71: Egnatia Maximilla magnis primum et integris opibus, post ademptis. — XV 34 vid. supra. — XVI 15: Ostorius multa militari fama et civicam coronam meritus. —

In praecedentibus iam afferenda erant nonnulla exempla, quae eadem pertinent ad alterum genus discriminis, quo Tacitus a ceteris scriptoribus differt in usu ablativi qual. Cum enim abl. qual. proprie adhiberi non possit nisi in iis nominibus, quorum notione significatur qualitas vel proprietas inhaerens ei, de quo dicitur, apud Tacitum, ut apud ceteros eiusdem aetatis scriptores, latius manat et transfertur in nomina indicantia non proprietatem sed rem externam, subiecto adhaerentem [utor hac voce ex analogia ‚inhaerentiae' ‚adhaerentiae' nominum grammaticis usitatorum]. Commode Joh. Muellerus [Beitr. IV pag. 30] ablativum adhiberi dicit ‚von concreten und solchen Wörtern, die keine Eigenschaft bezeichnen, indem als Beschaffenheit des Subjects aufgefasst wird, was Besitz, Inhalt, Leistung desselben ist oder in einem anderen ähnlichen Verhältniss zu ihm steht.' — Non pauci horum ablativorum coniecturis tentati sunt, aliis locis insolentiam dictionis tollere studuerunt viri docti dicendo non qualitatis ablativos esse, sed modales. Et re vera, ut talis ablativi qual. usus quasi regreditur ad ablativi modalis naturam, loci permulti ita sunt comparati, ut discriminis nihil interesse videatur inter illa ablativi genera. Qualitatis autem ablativus statuendus est, si substantivum, non verbi notio accuratius describitur et si verbum, quo referatur ablativus, non adest. Ita A. III 43: ‚quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis' facile conceditur, ablativum esse qual. Contra G. 10 extr.: ‚captivum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt', A. XV 29: ‚eques compositus per turmas et insignibus patriis', cum ad verbi notionem ablativi pertineant, modales sunt, id quod XV 29 firmatur apposito ‚per turmas'. Nipperdeius et Muellerus [l. c pag. 40]. ablativos qual. esse malunt, sed Nipperdeius rem haud certam esse ipse fatetur eo quod suspicatur excidisse praepositionem ‚cum'. Conferre potuit H. IV 46: Mucianus ... suis c u m insignibus armisque victores constituit. De abl. mod. vid. pag. 34. — XII 41: spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu. XIII 54: ad-

vertere quosdam cultu externo. XII 56: ipse insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata praesedere. G. 43: praesidet sacerdos muliebri ornatu. Non ratio praesidendi significatur, sed indicatur, quo habitu sit is, qui praesidet. — H. V 22: Romani ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique . . torta veste et strictis mucronibus. — H. II 20: versicolori sagulo, bracas indutus togatos alloqueretur. Ablativus non est modalis; neque enim id in superbiam trahebant municipia et coloniae, quod ea veste indutus Caecina loquebatur, sed quod omnino ea veste utebatur. cf. H. III 84. IV 46. — III 10: supplices manus tendit, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. Tribus ex partibus condicio subiecti describitur. — A. IV 59: tali habitu repertus est. cf. XIII 35. XIV 22. 30. XV 37. — A. II 9: insignis fide et amisso per vulnus oculo. XII 14: vivere eum iubet decisis auribus. Ablativo exprimitur non norma, ex qua, sed condicio, qua affectus mutilatus vitam degere iubetur.

Hinc profectus ceteros afferam ablativos qual., qui insolentius dicti in Taciti libris exstant. H. I 20: illis vix decumae super portiones erant, iisdem erga aliena sumptibus, quibus . . . — II 5: Vespasianus acer militiae . . . hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans. ‚Cibo fortuito‘ non referendum est ad verbum discrepandi; neque enim cibus ut vestis habitusque ex insignibus ducum est. cf. A. III. 55: antiquo ipse cultu victuque. XVI 10: vidua implexa luctu continuo nec u l l i s a l i m e n t i s. [Cic. Fam. IX 26, 4: non multi cibi hospitem accipies, multi ioci. Suet. Oct. 76: cibi minimi erat. Galb. 22: cibi plurimi traditur.] — c. 82: Vespasianus egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore. A. VI 34: ignobilem Hiberum, mercenario milite. Apte editores comparant Nep. Eum. 3: peditatu, quo erat deteriore. Contra A. IV 26: ‚minore exercitu‘ rectius ablativus instrumenti dicetur. Cum his locis in nomine ducis ablativo qual. significentur copiae, quibus dux utitur, non offendendum est in eo, quod aliis locis eadem ratione vocabulo copiarum additur significatio ducis, ut H. III 25: rarior Vitellianorum acies, ut quos nullo duce suus quemque impetus vel pavor contraheret. c. 71: furens miles aderat, nullo duce,

sibi quisque auctor. Firmatur his locus H. V 3: et sibimet crederent duce caelesti. Weissenbornium secutus Halmius scribit: crederent e t d u c i caelesti; sed mutatione opus non est. Heraeus tradita lectione servata ,duce caelesti' ablativum absolutum dicit. Quod probarem, si pro adiectivo scriptum esset nomen substantivum, ut ex. gr. Agr. 31: femina duce; quod cum secus sit, ,duce caelesti' ex analogia superiorum exemplorum ablativus qual. dicendus est. — A. II 66: Pomponius Flaccus vetus stipendiis et arta cum rege amicitia. VI 7: Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia. — VI 20: pari habitu, haud multum distantibus verbis. XIII 8: Corbulo corpore ingens, verbis magnificis et . . . validus. Erroris coarguitur hoc loco Lipsius proponens XV 8: ,litteras verbis magni f i c a s, rerum vacuas' pro Medicei lectione: magnifi c i s. XV 34: facetiis scurrilibus. XIV 29: Veranius . . . multa in Neronem adulatione. cf. XV 59: testamentum foedis adversus Neronem adulationibus. XV 54: Scaevinus pridie multo sermone cum Antonio Natali. XVI 31: strata humi longoque fletu et silentio, post . . . complexa. Praeter ceterorum locorum analogiam apposita particula copulativa documento est, ablativum esse qualitatis. [cf. ad H. III 10. pag. 44.] — XIII 21: Silanam nunquam edito partu matrum adfectus ignotos habere. Silana nullam edidit prolem, est igitur femina inexpertae fecunditatis, ut ita dicam, eamque ob causam matris adfectuum ignara. Opponitur Silana Agrippinae, feminae expertae fecunditatis, ut dicitur XII 2, vel insigni fecunditate [A. I 41.]. — Duobus locis ablativos qual. tolerari posse negat Nipperdeius. A. XIV 27: ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore . . . . ,Diversis manipulis' ex analogia eorum enuntiatorum positum est, quibus dicitur de alicuius origine, gente, ut VI 27: qui eadem familia. — XIV 23: dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, immitis iis, qui latebras insederant, ora et exitus . . . exurit. Cum verbo ,exurit' ablativi coniungendi non sunt; neque qualitatis notione adhibiti insolentiores sunt quam ii, quos modo attuli. At id tolerari non posse videtur, quod ablativis ,misericordia, celeritate' attributum additum non est. Florentis enim linguae scriptores ablativis qual. adiectivum vel pronomen addunt nec nisi in describenda externa rei forma vel magnitudine adiectivi loco

genetivum ponunt, ut Caes. B. g. III 13: clavi ferrei digiti pollicis crassitudine. VI 26: bos cervi figura. Cic. Rep. II 26, 48: qui est figura hominis. Quem usum Tacitus adhibitum ex. gr. H. V 6: ,lacus immenso ambitu, specie maris' non tam angustis finibus inclusit. Iam attuli locum XIII 6: multarum rerum experientia cogniti. — H. II 93: ne salutis quidem cura [cf. c. 53: sola posteritatis cura. III 83: nulla partium cura. IV 62. A. II 2]. A. I 57: uxor Arminii, mariti magis quam parentis animo. H. I 8: vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Sunt qui velint zeugma hoc loco statuendum et ad vocem ,artibus' ex insequente adiectivo ,inexpertus' supplendum esse: expertus. Cuiusmodi zeugmata quamquam non desunt Taciti libris, hoc tamen loco ea interpretatio tortuosior est; de abl. qual. cf. A. I 13: artibus egregiis. — Enuntiatum relativum in attributi locum succedit H. IV 5: Helvidius Priscus patre, qui ordinem primi pili duxisset. — Quae cum ita sint, ne in eo quidem offendendum est, quod nostro loco A. XIV 23 attributi vice Tacitus posuit enuntiata ,adversus supplices', ,adversus profugos', cf. pag. 39 not.; atque eo facilius fieri hoc potuit, cum antecederet ablativus nominis substantivi cum adiectivo coniuncti.

Explicandum denique est, quae ratio intercedat inter genetivum qual. et ablativum qual. Ac primum quidem eos afferam locos, quibus uterque casus legitur. H. IV 15: stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni. A. IV 29: Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore. c. 61: Qu. Haterius familia senatoria, eloquentiae celebratae. V. 1: Julia Augusta aetate extrema, nobilitatis clarissimae [ablativum non esse temporalem supra ostendi]. VI 15: equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. [Verbum ,erat' ad ablativum solum pertinet; genetivus ut adiectivum appositionis munere fungitur.] c. 31: Sinnaces insigni familia ac perinde opibus, Abdus ademptae virilitatis. XIII 54: quasi impetus antiqui et bona aemulatione. XV 38: fessa aetate aut rudis pueritiae. — Discrimen in ipsa casuum natura situm [vid. pag. 38 s. f.] a Tacito diligenter atque accurate observatum esse vult Zernial; dicit enim l. c. pag. 20 not.: ,in ablativo qualitatis, ea, quae de rebus commemorantur, non ea de causa commemorantur, quoniam is, de quo sermo est, huius illiusve

generis est, sed inter ceteras hominis qualitates etiam de origine eius dicitur totamque hanc originis significationem rem levioris momenti esse inde intellegitur, quod ea, quae rei summam exprimunt, plerumque adiecta sunt'. cf. ibid. pag. 21 not. — Quamquam permulti loci ita sunt comparati, ut non nisi adhibitis argutiis spinisque discerni possit, utrum levioris momenti res significetur an gravioris, tamen illam legem non prorsus valere ostendi posse spero. Ex. gr. H. IV 15: ,stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni' non intellegitur, quam ob causam audaciae commemorationi plus tribuendum sit quam originis; quin etiam maior vis est in commemoratione originis, id quod demonstrant insequentia verba: pater eius multa hostilia ausus.... — A. V 1: ,Iulia Augusta aetate extrema' ut permultis aliis locis in aetatis significatione ablativus adhibetur; IV 29: Lentulus senectutis extremae' genetivus nulla alia causa adhibitus est, quam quia ex ablativo ,senectute extrema', et sequentibus verbis: ,Tubero defecto corpore', aequitas membrorum oreretur Tacito molesta.[1]) Idem dicendum est de locis A. V 1: nobilita t i s clarissi m a e, H. IV 15: claritat e natalium insig n i. cf. A. I 29: nobilita t e ingeni t a. — G. 43: lucus antiqu a e religio n i s, A. XV 41: templum vetustissi m a religio n e. — Genetivo qual. res levioris momenti significari mihi videtur H. IV 49. A. IV 21. VI 15. 31. XIII 25. XIV 59. Contra A. IV 66: ,P. Dolabellam socium delationis exstitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo conexus suam nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat' ablativo qual. res non levis momenti indicatur. Neque minus refutatur Zerniali sententia loco H. I 52: Verginium, equestri familia, ignoto patre, imparem.... cf. c. 72. al. Luculentissimum exemplum legitur A. XV 38: fessa aetate aut rudis pueritiae; prius enuntiatum prorsus eadem est gravitate, qua posterius, nec nisi variandi sermonis causa alterum ablativo qual., alterum genetivo exprimitur. — Quae Zernial. dicit de verbis: sive Theseus divina et ipse stirpe A. IV 56 [haec sunt verba: imprimis in sententia a ,sive-sive' incipiente de rebus levioribus agi significatur], vera non sunt. Parum enim refert, utrum Tantalus

---

[1]) Quamquam concedendum est, non omnibus locis Tacitum sustulisse aequitatem membrorum; exempla duorum ablativorum qual. eidem nomini adiunctorum in praecedentibus allata sunt.

an Theseus an alius quidam auctor gentis Amazonum fuerit, in ipso autem Thesei nomine commemoratio originis levis momenti non est. — Neque probanda sunt, quae idem [pag. 20] dicit de loco XIII 54: antiqui impetus et bona aemulatione. Aemulatio cum sit studium aemulandi, non extrinsecus movet homines, ut ait Zernial., sed non minus quam impetus prodit ex intimo animo, res externas petit. — Distinguit enim Zernial inter animi qualitates externas et internas, quarum de prioribus tantum ablativum, de posterioribus tantum genetivum usurpari vult. Quod ipsius exemplis refutabo. Cum enim legatur A. I 41: Treveri et externae fidei, H. III 5: procurator incorruptae fidei, de eadem re ablativus qual. invenitur H. III 48. A. XII 30. 41. — A. IV 61: eloquentiae celebratae. VI 15: facundiae comptae [utroque loco antecedit abl. qual.; sine addito ablativo:] H. I 69: notae facundiae. At A. I 19: Blaesus multa dicendi arte. VI 48: Balbus truci eloquentia habebatur. XVI 22 extr.: Marcellum Eprium acri eloquentia. — Ad verba A. IV 31: velut eluctantium verborum' adnotat Zernial [pag. 19]: cum VI 20 legatur, haud multum distantibus verbis', qua de causa hoc loco Tacitus ,verba' pro externa qualitate habuisse videtur, recte, ut puto, nostro loco imprimis ex addito ,velut' verba illa eluctantia, quae non fluxam, sed diuturnam Caesaris proprietatem exprimunt ,tamquam interiorem qualitatem genetivo eum expressisse intellegitur'. — Sed longe aliter res se habet; ,velut' enim particula pertinet tantum ad participium ,eluctantium' ideoque addita est, quod verbo eluctandi tam audaci metaphora utitur Tacitus, qua neque ipse ceteris locis quibus idem legitur verbum [Agr. 17. H. III 59], neque alii scriptores adhibuerunt. — Praeterea equidem non intellego, quo iure Zernial dicat, oblectationem, eloquentiam vel facundiam, sumptuosam adulescentiam, quibus in nominibus genet. qual. legitur, interna, severitatem, constantiam [pag. 20 not.], quibus abl. qual. appositus est, externa esse animi bona. Apparet potius ex his exemplis, haud ita accurate Tacitum distinxisse inter duorum casuum usum. — Idem in describenda externa hominis specie genetivo[1]) utitur A. IV 3: ,Livia formae

---

[1]) Duobus locis, quibus idem inveni, genetivo adiunctus est ablativus qual. Sall. fragm.: homo oris probi, animo inverecundo. Nep. Dat.

decorae', in certae magnitudinis definitione ablativo H. IV 30: eduxerant turrim duplici tabulato [Caes. B. g. VI 29: turrim tabulatorum quattuor constituit.]. Ne tum quidem, si indicatur, cuius generis res sit, quae dictio, ut ex propria casuum natura apparet, genetivum requirit, ablativo abstinuit. Ita A. IV 11: ,quis mediocri prudentia' verba hoc valent: quis ex numero hominum mediocri prudentia praeditorum. cf. Ter. Andr. III 5, 2: homo nulli consilii sum. — c. 40: quosdam in sermone habuit insigni tranquillitate vitae. Intellegendi sunt homines eius generis, qui in re publica non versentur, sed tranquillam degant vitam. — A. III 65: sententiae insignes per honestum aut notabili dedecore. Duo sunt sententiarum genera, quae Tacito commemoranda esse videntur, alterum insignium per honestum, alterum famosarum per dedecus. — A. VI 9 verbis: ,quidam honoribus summis' ordo hominum exprimitur. cf. A. II 84: eiusdem fastigii vir. — c. 27: qui eadem familia. cf. c. 31: nemo gentis Arsacidarum. c. 32: Tiridates sanguinis eiusdem. — XV 38: fessa aetate aut rudis pueritiae; singulae aetates describuntur. cf. XIII 1: anteponendum esse vix pueritiam egresso Neroni virum aetate composita. cf. H. III 33. — Confunduntur igitur duo casus et cum in ablativo modali, locali, separativo hoc sit Taciti proprium, quod usui ex casus notione principali orto longiores terminos constituit, hoc in genere ablativum adhibet ratione ab ipsius natura aliena. Sed hac quoque in re dictio nititur praecedentium scriptorum analogia et probatur ex ceteris Taciti proprietatibus.

Ablativus instrumenti.

Altera, quam pag. 28 dixi esse notionem principalem casus instrumentalis, ea est, quae instrumentalis vulgo dicitur; indicat igitur instrumentum, quod ad faciendum aliquid adhibetur. — Huius ablativi usus neque multis neque gravibus mutationibus obnoxius, sed omnibus linguae aetatibus fere idem fuit. Late patet in nominibus rem inanimam significantibus, rarior et apud florentis linguae scriptores certis finibus circum-

3, 1: homo maximi corporis terribilique facie. Contra Hor. Sat. II 3, 309: ,moduli bipedalis', Epist. I 20, 24: ,corporis exigui' ablativus qual. adiunctus non est.

scriptus est in vocabulis hominum. Usurpatur enim, cum homines non ipsi agentes cogitantur, sed ministri aliorum, ita ut eorum opera quasi res inanima adhibeatur.[1]) Quod imprimis cadit in servos hominesque, qui simili sunt condicione, ut milites, quippe qui nonnisi ducum iussu res gerant. Atque multo frequentior est ablativus in nominibus verbo passivo appositis, rarius adiungitur verbo activo [transitivo]. Quem usum Tacitus in libris minoribus non excessit. Quod Agr. 6 legitur: ‚filia auctus', iam apud Ciceronem invenitur epp. ad Att. I 2: filiola me auctum scito. Non plane idem est A. II 84: Drusus auctus filiis; hoc enim loco dicitur: numerus liberorum Drusi augetur [duo iam erant Druso liberi], Agricolae loco sententia haec est: melior, amplior fit status Agricolae. — Agr. 24: legione una debellare, c. 25: classe portus exploravit. His similibusque nominibus Tacitus hic illic addit praepositionem non solum si ii, de quibus dicitur, sua sponte suoque arbitrio agentes intellegendi sunt ut H. I 5. II 76. A. II 80, sed etiam nonnullis locis, quibus notio ea non inest ut H. II 28. 35. A. XII 40. — c. 40: uno aut altero comitatus. cf. G. 13: magno globo circumdari. c. 40: Langobardi plurimis ac validissimis nationibus cincti. H. IV 2: saeptus armatis, c. 11: stipatus armatis. A. XIV 8: trierarcho Herculeio et Obarito centurione comitatus. [Adnotat Kritzius ad Agr. 40: ablativus ‚a' praepositione caret, quia non tam comitantium voluntas quam comitatus ratio significatur.] — G. 2: ‚Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur' ‚navibus' non ablativus est, sed dativus ut XV 27: iter Lucullo quondam penetratum. cf. Liv. IX 36: silva erat Ciminia, nulli ad eum diem, ne mercatori quidem adita. Vell. II 39: Galliae Domitio intratae. Ov. Trist. I 2, 78:

[1]) Uno Taciti librorum loco vocabulo rei additur praepositio A. III. 69: delicta **a** legibus puniri, quo indicatur ex legibus poenas proficisci, oriri; contra XIV 48: ‚poenas legibus esse constitutas' significat, legibus homines usos esse ad poenas constituendas. Quamquam non ita distincte hoc discrimen a scriptoribus servatum est. Cic. Off. I 4, 11: **a** natura tributum. De orat. I 50, 215: interdictum **a** rerum natura aut **a** lege aliqua atque more. Off. I 29, 102: **a** ratione retinentur. — Tac. H. IV 17: libertatem natura etiam mutis animalibus datam. — Haud raro Tacitus, ut efficiat iniquitatem membrorum, in vocabulis rerum ablativo addit substantivum cum praep. ‚per' coniunctum, ut Agr. 9. 41. H. I 17. 25. 46. II 5. III 86. A. I 7. 9. 19. 56. II 38. III 4. 27. IV 30. 74. al.

oppida non mihi visa prius. Quibus locis quamquam legitur participium perfecti, qua in forma frequentissimus est dativus pro ablativo cum praep. ‚ab' coniuncto, Tacitus, ut scripsit Agr. 10: ‚Britannia Gallis in meridiem inspicitur', G. 16: ‚nullas Germanorum populis urbes habitari', ita nostro loco G. 2. formae temporis praesentis passivi dativum apponere non dubitavit. cf. c. 34: lacus Romanis classibus navigati. —

In Historiarum et Annalium libris ablativi usus non solum in nominibus, quae sunt: miles, exercitus, praesidium, subsidium, similibus augetur, sed ex aequalium poetarum sermone longius profertur. Ex priore genere cum sint exempla permulta, aptissima satis habebo attulisse. H. I 50: capta suis exercitibus urbs. c. 87: aditus Vitellianis exercitibus claudebantur. cf. IV 75. V 10 [Liv. II 44, 11: suo milite vinci]. — II 16: direptos vastatosque classe. — c. 32: Britannicum militem hoste et mari distineri. — III 21: latera ac terga equite circumdata. c. 82: plebs invectis equitibus fusa. IV 17: Batavo equite protritos Haeduos Arvernosque. Non ipsi [ipsorum vi] Vindex et milites Romani effecerunt, ut Haedui Arvernique protererentur, sed eo, quod Batavi equitis auxilio utebatur, Vindex hostes vicit. — Ad verbum activum referendi sunt ablativi instrumentales H. I 10: tribus legionibus bellum administrare. c. 67: suis militibus ac stipendiis tuebantur castellum. — c. 79 extr.: suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxit. cf. A. XV 1. [Liv. XXIII 42: nullo externo adiuti nec duce nec exercitu.] — II 83: Dyrrachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare claudere. Plane eiusdem momenti sunt ad rem perficiendam pedites equitesque et naves, i. e. res inanima. — III 30: tecta fortissimo quoque militum complet. IV 22: Rheni ripam Germanorum catervis complet. cf. V 16. II 35: completis Liburnicis per promptissimos gladiatorum. Praepositio h. l. posita est ideo, quod antecedunt verba: completis Liburnicis. — III 69: Capitolium mixto milite insedit. — IV 33: subsignano milite media firmare. c. 70: Tutor Treverorum copias . . . pedite atque equite firmavit. cf. c. 77. A. I 24: cohortes delecto milite firmatae. — V 10: Vespasianus fama fortunaque et egregiis ministris cuncta camporum . . . victore exercitu tenebat. —

A. III 41: Turoni legionario milite oppressi. — IV 5: Hispaniae recens perdomitae tribus [legionibus] habebantur ... cetera per duas legiones parique numero Aegyptus, dehinc ... quattuor legionibus coercita. Optime ex hoc loco intellegitur, quantopere Tacitus inserviat 'studio membra orationis variandi; nihil enim interest inter ablativum et casum cum praepositione coniunctum. — c. 67: concursus oppidanorum disposito milite prohiberentur. — XIV 32: multitudine barbarorum circumveniuntur. — c. 38: nonani legionario milite suppleti sunt. — XV 1: duce Romano incursarentur [cf. ad H. I 79]. Sententia haec est: eo contemptionis descensum esse, ut Romani indignos Adiabenos putarent, ad quos perdomandos legatum iustumque exercitum mitterent. — c. 4: repentinis hostibus circumventi. cf. Nipperd. ad h. l. — III 43: caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat. — IV 26: minore exercitu insignes captivos ... deportarat. — XII 43: militum globo infensos perrupit. — XV 57: multiplicatis excubiis semet, c. 60: villam globis militum saepsit. —

Hinc progressus Tacitus transtulit ablativum instrum. in vocabula hominum, in quibus notio ordinis inferioris et aliorum imperio obnoxii non tanta est vi, servavit autem propriam casus vim, ita ut non ipsi homines agentes significentur, sed id, quod eorum opera perficitur. Ita H. I 11: ‚provinciae, quae procuratoribus cohibentur' procuratores ii sunt, quorum opera imperatores utuntur ad provincias cohibendas. Heraerus dativum h. l. statuendum esse sibi persuasit. Sed idem valet ablativus, quod paulo ante: copiae, quibus Aegyptus coerceretur, A. XV 1: duce Romano incursari. Neque probatur Heraei sententia duobus locis H. III 12: provinciae Vespasiano tenebantur. A. XII 54: Ventidius Cumanus, cui pars provinciae habebatur. Priore loco dativus non est pro praep. ‚ab' et ablativo, sed est dativus commodi; Antonius enim Primus provincias Vespasiano conciliaverat. cf. H. II 86. Altero loco ‚habebatur' idem valet, quod ‚erat'; magnique momenti est, quod affertur nominatim is, cui erat provincia, H. I 11 tantum dicitur, quem per magistratum provinciarum administratio fiat. — c. 86: prodigia diversis auctoribus vulgata. Non id effertur, quod diversi homines rumores circumferebant, sed quod prodigiorum notitia diversis ex fontibus

manabat. cf. II 73. A. IV 11: haec . . . nullo auctore certo firmantur. [Contra H. IV 83: ‚origo dei nondum nostris auctoribus celebrata‘ ‚auctoribus‘ dativus est, ut Agr. 2: cum Herennio Senecioni Helvidius Priscus laudatus esset. A. XI 29: Callistus . . . mihi narratus. cf. A. I 1. IV 10. XI 27]. — H. II 29: immissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat. A. III 16: non sponte exstinctum, sed immisso percussore. — c. 84: indulgentia fortunae et pravis magistris didicit. cf. IV 68: ne ferocia aetatis et pravis impulsoribus paci belloque male consuleret. — III 40: pernicibus nuntiis accepit. Hac voce cum intellegi possit et is qui nuntiat et id quod nuntiatur, haud parvus locorum numerus dubitationi obnoxius est; qua de causa et cum hic ablativus omnino haud rarus sit, sufficiat addidisse numeros locorum A. II 58. IV 73. VI 50. XIII 38. — c. 70: ne militibus internuntius invisae pacis interficeretur. Nudus ablativus huic loco aptus non est. Neque enim milites Martialem interficere cupientes aliorum iussu propositum perficere student, sed sua sponte suoque arbitrio. Quam ob rem aut dativus statuendus [cf. Nipperd. ad A. II 50] ita ut ex verbis ‚internuntius invisae pacis‘ notio commodi referatur ad vocem ‚militibus‘, aut addenda est praepositio, id quod recte fecerunt plurimi editores. cf. A. I 13: prope a militibus interfectus. — IV 27: ‚donec exitium minitantibus exterritus . . . . obiecit‘ ablativus cum Heraeo et Nipperdeio [ad A. I 69] absolutus dicendus est. — V 3: utrisque deserti. ‚Utrisque‘ utrum sit dativus, quod vult Nipperd., an ablativus, ex locis, qui huic similes in Taciti libris exstant, disceptari nequit. Nam A. VI 46, XII 16 praep. ‚ab‘ addita est [H. IV 77: relictus a vobis], H. I 60: ‚adgregantibus se Caelio cohortibus alisque desertus‘ ablativus absolutus est, neque loci A. III 20: ‚suis desertus‘, XII 26: ‚desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis‘ aliquid afferunt ad rem diiudicandam. Cum vero ablativus non abhorreat a Taciti sermone et aliorum scriptorum similibus dictionibus commendetur [Caes. B. c. I 15: magna parte militum desertus. Ov. Her. XII 61: deseror coniuge], et H. V 3 et A. III 20. XII 26 non dativum, sed ablativum intellegendum esse existimo. — A. II 50: Appuleia propinquis suis . . . removeretur. ‚Propinquis‘ non est ablativus instrum., apparet enim ex XIII 32, quo loco de simili re dicitur, non

alius cuiusdam ministros esse propinquos, sed ipsorum esse iudicium et actionem. Contra ablativus instrum. est c. 79: castra corruptoribus tentare. cf. XII 14: missis corruptoribus hostes emercari. — IV 6: frumenta ... societatibus equitum Romanorum agitabantur. vid. ad H. I 11. — c. 12: alit haec callidis criminatoribus. — VI 41: urbes Macedonibus sitae. ‚Macedonibus' dativus est; neque enim ablativus sententiae huius loci aptus est et similibus locis, ut G. 3. H. III 47. 72. A. III 38 legitur praep. ‚ab', cum pro notione instrumentali poni soleat ‚per'. — c. 51: multis aemulis conflictatus est. — XII 25: accingeret se iuvene partem curarum capessituro. — XIII 18: ne coetu salutantium frequentaretur. — c. 46: ‚Neronem paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum', dictum est pro: adsuetudine Actes, paelicis ancillae. Optime ex hoc loco intellegitur, quanta diligentia Tacitus servaverit notionem instrumentalem. Eo magis enim despicatus est Nero, quod hominis infimae condicionis, paelicis ancillae adsuetudine eo perventum est, ut tam abiectus atque sordidus summi fastigii vir fieret. Contra verba, quae paulo antecedunt: ‚se Othoni devinctam esse' hoc valent: cum Othone artis vinculis coniunctam se esse. cf. XI 28. — XIV 52: satis amplis doctoribus instructus, maioribus suis. — XV 37: lupanaria illustribus feminis completa. cf. ad H. III 30. pag. 51.

Ablativus ea ratione, quam modo explicavi, adhibitus quamvis longe prolatus sit, versatur tamen intra usum aliorum scriptorum analogia nisum.[1]) Quos terminos Tacitus eo egreditur, quod ne de propriis quidem nominibus ablativum instrumenti adhibere veretur. Exempla, quae ex Historiarum libris secundum codicis Medicei lectionem huc pertinere videntur, librarii potius errori tribuenda sunt. H. I 43 extr.: nuper Galba civitate donatus [altera manu additum est ‚a']. Notio instrumentalis, quam a Tacito accurate servatam esse supra dixi et allatis exemplis firmavi, h. l. plane deest. — Idem dicendum est de loco H. IV 26: ductus Vocula exercitus. Quamquam enim milites ducis instrumentum cogitari possunt, eadem ratione ducis condicio ad milites referri nequit. Itaque aut addenda praepositio ‚ab' aut scribendum est: Voculae; littera ‚e' eo

[1]) cf. Cic. Mil. 18, 47: iacent suis testibus. 20, 54: uxore paene onstrictus.

facilius excidere potuit, quod sequens vox ex eadem littera incipit. — IV 13: accita [inseruit Halmius: a] Vitellio auxilia. ‚Vitellio' dativus est, qui in participio perfecti non habet, quo offendatur: sunt auxilia, quae sibi Vitellius acciverat defensionis et auxilii causa. Ceterum Halmii coniecturam facillimam esse unusquisque concedet. — Est igitur Annalium proprius usus, cuius exempla iam afferam. A. III 75: Asinius Saloninus M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis. XIV 40: Pollione proavo clarus. Ablativi non absoluti sunt, quod dici potest de loco VI 30: ‚perdito Scauro famosi', sed instrumentales cf. V 1: Augusta nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Iuliorum Liviorumque clarissimae. — VI 44: ipso Artabano perculsus. Non ipse Artabanus terrorem inicit Tiridati, sed praesentia Artabani Tiridates terrore afficitur. — III 3: [matrem Antoniam] facilius crediderim Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam. Nipperdeius pro ‚Augusta' scripsit: Augustae, ita ut ‚Tiberio et Augustae' dativus sit, positus pro ablativo cum praep. ‚ab' coniuncto. At non ipsi Tiberius et Augusta prohibuerunt, ne domo excederet Antonia, sed eo quod illi intra domum manebant, Antonia adducta est, ut idem faceret, exemplo illorum quasi coacta est intra domum ipsam se claudere. Hanc interpretationem rectam esse suspicari licet etiam ex insequentibus verbis: ut matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur. —

Usus ablativi instrum. in nominibus, quibus res inanimae significantur, omnibus linguae temporibus late patuit neque quidquam in hoc genere Tacitus novavit. — Ut in eo usu, de quo dixi pag. 24—27, ablativus accedit ad casus accusativi fines, si apponitur adiectivorum gradui comparativo et verbis comparativae notionis. Indicat enim, quanto res rem superet.

Adiectivorum gradui comparativo Tacitus ablativum adiungit, non accusativum, qui casus apud Livium compluribus locis legitur [idem Cic. De orat. III 24, 92: illud . . . non multum est maius quam . . .]. Cum vero in duobus membris comparativis correlative positis haud raro pro altero, nonnunquam etiam pro utroque comparativo utatur gradu positivo [Nipperd. ad A. I 68], accusativus invenitur in membro de-

monstrativo A. II 24: quanto violentior . . . tantum excessit. Ut hoc loco ex verbi notione accusativus probatur, ita in membro relativo legitur A. II 73: tanto promptius . . . quantum praestitisset. VI 19 extr.: quantum saevitia glisceret. — Haec causa accusativi non est H. II 99: quantum hebes . . . tanto promptior. — In particulis ‚post' ‚ante' ex vulgari usu Tacitus ablativum adhibet exceptis duobus locis A. V 3: multum post mortem. XII 4: Iunia Calvina haud multum ante Vitellii nurus fuerat. Fuerunt qui utroque loco ablativum stare posse negarent. Sed et alter locus alterum firmat et similia exstant Cic. Fam. III 11, 1: permultum ante certior factus sum, Sen. De constant. sap. [dial. II] 3, 3: qui magnitudinem multum ultra se positam non tacturi adpetant. Accedit, quod eodem sensu accusativus haud raro adhibetur a Livio in adiectivorum gradu comparativo vid. supra, et quod verbis superandi, antecedendi non minus quam ablativus a Tacito apponitur accusativus. Ita D. 16: quorum aetas mille fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit. Cum hoc loco ablativus positus sit de certo discrimine [cf. infra verbum distandi], H. IV 13 legitur: regia stirpe multo ceteros anteibant. Contra c. 34: non multum aetate antecedens. c. 26: ipsarum virium robore multum ceteros superat. A. IV 18 extr.: beneficia ubi multum antevenere. cf. A. II 24. 73. — In verbis differendi, distandi idem ablativus significat, quam magna sit differentia, distantia. G. 5: terra aliquanto specie differt [Agr. 24: haud multum differunt. c. 11: sermo haud multum diversus. A. I 13: L. Arruntius haud multum discrepans]. In verbis, quae sunt distare, abesse, accusativus usurpatur in neutro adiectivi: multum A. III 24. IV 55. VI 20. XII 64; si dicitur de certa differentia, ablativus invenitur. H. II 40: sedecim milium spatio distantes. cf. III 60. IV 57. A. XV 5. — H. IV 82: procul Alexandria plurium dierum itinere. ibid: octoginta milibus passuum afuisse. A. XII 17: tridui itinere afuisse. idem XV 16. A. III 5: frater unius diei via obvius. — Verbis aestimandi, metiendi appositus ablativus significat id, quod est pro norma metiendi. Qua vi omnibus scriptoribus usitatus a Tacito adhibetur non solum in verbis, quae proprie vim aestimandi continent [aestimare c. ablat. Agr. 5. H. IV 73. A. XI 26. aestimare per . . . Agr. 40. metiri

G. 37. censere D. 39 extr. Agr. 45], sed legitur G. 38: nationibus nominibusque discreti. H. I 7: imperatores forma ac decore corporis comparare. cf. II 92. A. VI 42: trecenti opibus aut sapientia delecti [contra A. I 58: amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi. Ad G. 38 cf. ibid. c. 25: servi discripti per familias. A. XIV 13: agmina per sexum et aetatem disposita. XV 37: exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur]. — Immolandi in actione cum victima et obiectum sacrificii et instrumentum sacrificandi intellegi possit, ut ceteri scriptores, Tacitus modo ablativo utitur, G. 9: humanis hostiis litare. A. VI 34: ariete sacrificare, modo accusativo H. V 4: bos immolatur. A. XV 47: gravidas hostias immolare. — Adiungam his verba, quae huc pertinentia alia quoque structura adhibentur. ‚Potiri' cum genetivo coniungitur non modo in vulgaribus illis dictionibus [H. II 101. III 74. V 13. 25, A. I 5. 33. IV 71. V 1 al.], verum etiam legitur A. III 73: ipsius ducis poterentur. IV 3: primi flagitii, cum accusativo XI 10 [non huc referendus est locus A. II 36: quaerendis aut potiundis honoribus]. — ‚Fungi' c. abl. coniungitur exceptis duobus locis. A. III 2: suprema munia. IV 38: hominum officia. [A. III 17: eo munere, c. 54: officio functi sunt.] — Vesci c. accus. Agr. 28. — Verba egendi, carendi ad casum separativum pertinent, ibidemque, ut dixi pag. 2, dicendum erit de verbis et adiectivis copiae.

Quoniam ita rem propositam ad finem perduxi, paucis complectar, qua ratione Tacitus adhibuerit ablativum. In Dialogo et Agricola nihil fere distat a superiorum scriptorum dictione; Germaniae dictio iam propius accedit ad Historias et Annales [cf. ex. gr. pag. 33]. Ut igitur de iis dicam, hoc apparuit esse Taciti proprium, quod usum ex casus vel potius casuum natura et principali notione ortum longe protulit et terminos, quibus praecedentium scriptorum sermo includebatur, egressus latiores fines suo dicendi generi constituit; plurima autem, quae novavisse videtur, aliorum scriptorum analogia nituntur. Secutus est imprimis cum ceterorum poetarum tum Vergilii sermonem ideoque propius quam ad ce-

teros prosae orationis scriptores accedit ad Livium; neque enim Sallustii imitatio in rebus grammaticis tanta est, quanta in iis, quae ad elocutionem pertinent. Hinc nescio an causa petenda sit, cur usus ablativi praepositionibus non aucti tam late pateat in Taciti scriptis. Quamquam enim ipsi casui eaedem sunt notiones, quae additis praepositionibus indicantur, non licet opinari Tacitum omisisse praepositiones conscientia propriae casus naturae. Poetae vero multis in partibus linguae vim priscam et natura insitam servaverunt, eoque factum est, ut apud eos prosae orationis scriptores, qui poetarum sermonem secuti sunt, casuum principales notiones quasi revirescerent.

Vita.

Iulius Schneider natus sum Ligniciae, d. XIV m. Febr. 1861, patre Ignatzio, matre Friderica e gente Cohn, quos adhuc vivos esse maxime gaudeo. Fidem profiteor iudaicam. Primis litterarum elementis imbutus in ludo imperatoris augustissimi nomine ornato, a. 1870 adii gymnasium Lignicense quod etiam nunc floret auspiciis Car. Ed. Guethlingii viri doctissimi, qui summa cum humanitate et gymnasii discipulum et litterarum studiosum egregie me adiuvit omnibusque temporibus optime de me meritus est. Testimonio maturitatis instructus, m. Maio a. 1878 inter cives universitatis litterarum Vratislaviensis receptus interfui lectionibus virorum clarissimorum Dilthey Freudenthal, Gruetzner, Hertz, Hillebrandt, Kaibel, Lichtenstein, Ludwich, Neumann, Oginski, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Weber, quibus omnibus optime de me meritis gratum semper animum habebo. Seminarii regii philologici sodalis extraord. fui per duo semestria, ordinarius per idem tempus.

Theses.

I. Tac. Hist. II 16 extr.: ‚neque eos aut Otho praemiis adfecit aut puniit Vitellius, in multa conluvie rerum maioribus flagitiis permixtos' rerum conexui melius convenit: permixti.

II. Ann. XI 26 pro: ‚cuius (infamiae) apud prodigos novissima voluptas est' aut scribendum: ‚prodigos nominis summa' aut post ‚prodigos' inserenda est vox: nominis.

III. Ann. XIV 7 traditur: nisi quid Burrus et Seneca expergens. ‚Expergens' aperte corruptum est; mutandum propono: ex re agerent.

IV. Eurip. Alc. v. 321 traditur:

. . . . *καὶ τόδ' οὐκ ἐς αὔριον*
Οὐδ'ἐς τρίτον μοι μηνὸς ἔρχεται κακόν.

Vox *μηνός* explicari nullo modo potest. Scribendum videtur: *ἐς τρίτον σοι μητρὸς.*

V. Sophocl. Trach. v. 229: *ἀλλ' εὖ μὲν ἵγμεθ', εὖ δὲ προσφωνούμεθα* pro indicativo ponatur necesse est coniunctivus adhortativus: *προσφωνώμεθα.*

VI. ibid. v. 614—15 pro tradito:

καὶ τῶνδ' ἀποίσεις σῆμ', ὃ κεῖνος εὐμαθὲς
σφραγῖδος ἕρκει τῶδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται

scribendum est:

ἐμὸν μαθήσεται.

VII. Philoct. v. 424—25:

κεῖνός γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ θανὼν
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὅσπερ ἦν γόνος.

Enuntiatum relativum sensu plane caret. Aptius mutata collocatione verborum legitur

κεῖνός γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ γόνος
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὅς γ' ἔρρει θανών.

VIII. Thucyd. III c. 111 pro: *ὅσοι μὲν ἐτύγχανον* scribendum est: *ὅσοι ἐνετύγχανον.* cf. Sophocl. Ai. v. 433. Buttmann. ad Plat. Alcib. I. Exc. 1. pag. 173.